3 B b 1



IOANNIS LEOCHARI Scoti,

MVSÆ PRIORES,

SIVE

POEMATVM

PARS PRIOR.

Londini,

1620.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Index Librorum.

I. Eroticon lib. 6. vbi
- *Panthea. lib. 2.*
- *Anacreontica. lib. 2.*
- *Elegiæ. lib. 2.*

II. Idyllia siue Eclogæ.
- *Bucoliæ. 5.*
- *Piscatoriæ. 5.*
- *Nauticæ. 5.*
- *Ampelicæ. 5.*

III. Epigrammatum. lib. 4.

CAROLO,

SERENISSIMO VALLIÆ PRINCIPI SACRVM.

Operis Dedicatio.

SPes iuuenũ, virtuſq; virûm, diuûm vnica cura,
Dîs genite, et magnos progeniture deos,
Quẽ Tameſis glaucâ præcinctus arũdine ripas
Quem pater è placido gemmiſer amane Taus,
Quem Iuuerneas inter pulcherrimus vndas
Banna colit; ſolo, Carole, patre minor;
Accipe quæ primis iuuenes præluſimus annis:
Accipe quæ genio vouit Apollo tuo.
Heic tibi oues inter Lycidas, Meliſæus in antro,
Omnia non mæſti temporis ire ſinent.
Heic tibi pampineâ Staphyle cantabit in vmbrâ:
Ant apud æquoreas candida Chloris aquas.
Heic tibi Amor, placidoq; decẽs Cytherëia vultu,
Et comes Idaliæ Bacchus vbiq; deæ,
Heic Charitum nudis ludet tibi triga papillis:
Et tener ingrato ſed ſine felle iocus.
Magna canant maior queis pectora verſat Apollo:
Queiſque dat è ſacra pocula plena manu.
Nos humiles leuiora decent. ſors hæc mage tuta.
Hæc venæ, hæc annis conuenit vna meis.
At tu, ſi placido videas mea carmina vultu,
O decus, ô æui gloria, lauſq; tui;
Tum me ſublimi ſuper aurea ſydera pennâ
Fama per attonitûm prouehet ora virûm.
Primoreſq; inter vatum numerabit Apollo:
Et dabit auratæ fila ferire lyræ.
Eſt aliquid placuiſſe homini; neq; peſſima laudũ:
Plus tamen eſt, ipſis poſſe placere diis.

Ioannis Leochæi Scoti.

EROTICON LIBRI SEX.

Vbi

Panthea. lib. 2.

Anacreontica. lib. 2.

Elegiæ. lib. 2.

Editio Secunda.

Gulielmo Herberto,

Nobiliſſimo Pembrociæ Comiti,

Periſcelidis equiti,

Regi à conſiliis ſanctioribus.

Ioannes Leochæus S.

TAndem aliquando, poſt triennalem peregrinationem, ad te, (Nobliſſime Herberte,) hic meus iam poſtliminio redit partus: feſtino potius, quam (quod unice vereor.) maturo gradu. ſqualorem tamen, maciemq; illam larualem, quibus antea miſeris modis, incuriâ, et præcipitantiâ meâ, habebatur; quâ potuit arte, et induſtriâ, exuit: et excuſſit. comptior iam, et (vt ſpero) gratior, in lucem prodire iuſſus, maleuolorum dentes eludet, Criticorum flagella effugiet; naſutulorum quorundam riſus pari riſu excipiet. Scio, nec inficias eo, materiem quam plurimis non vſquequaq; placituram. verum, ego, de Pſeudo-catonibus illis non admodum ſolicitus, quid dicant, quid ſentiant ſuſq; deq; fero. ſint ſcriptis ſuis (quod ſolum affectant) Theologi; ego meis laſciuus; dum neque illorum vita, ſcriptis ſuis reſpondeat: neq; mei mores, ſciptis meis admodum conſentiant. dumq; non minus illorum viuendi ratio, de meâ laſciuiâ; quam mea de illorum ſanctitate vendicet. quo ad me, teſtor quicquid vbique vel fidei, vel humanitatis, ſaniue

eſſe

esse potest iudicii; nullo alio me proposito in hoc scriptionis genus descendisse: quam vt veterum in scribendo stylum, in dicendo modum, in affectibus declarandis rationem, veramq; ἐνεργείαν, lectione, et vsu, mea paulatum redderem: vnde, modo amatoris, modo ebrii, modo abstemii personam assumere non dubitaui. verum hæc οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. excusare enim, quod antea mecum ipse facere decreui, iamq; factum reddidi, nunquam erat mihi, eritue animus. neforte, quemadmodũ olim Catoni, ludos Florales spectanti, (notâ satis vulgi in iis edendis licentiâ,) statimq; è theatro discedenti, obiectum fuit a salso illo vate.

An ideo tantum veneras vt exires?

Ita, me pari risu aliquis excipiens, hoc in aurem instillet; an ideo tantum scripseras vt excusares? Nunc vt ad id, vnde digressus statim ab epistolii huius ingressu fui, aliquando redeam; Te patronum, huic opellæ, (Nobilissime Domine.) elegi, aliũ quærere, neq; volui; neq; debui: illud amor tuus, in Musica hæc studia, eorũq; cultores, singularis; et diuini illus herois annuculi tui Sidnæi memoria, persuasit: hoc pudor, et promissi, semel que oblati muneris fides, à non recusante facile obtinuit. Sume igitur, habeq; nunc iterum, (Nobilissime Domine) me; meaq; hæc EROTICA *perpetuo nexu tua. quaque es humanitate, et erga literarum cultores amore, vtriq; faue: vtrumq; clientelâ tuâ in posterum dignare. Vale.*

EROTI-

EROTICON

Liber Primus, cui titulus,

PANTHEA.

De Se.

NOn hic Strymonii lituus
lato æquore campi,
Concitat armatas
in sua fata manus.
Non galeæ, non æra sonant,
procul arma valete:
Quæq; comes Getico, bellica, Diua Deo.
Me lepor, et choreæ, numeri me dulcè fluentes,
Me iocus, et dominæ basia rapta meæ,
Mé Bromius, Musæq; iuuant: me cantor Apollo:
Cypria cum puero me Dea blanda Deo.
Et tamen insanæ crescunt sub pectore flamæ;

Quas

Quas ferus innumerâ cuſpide fixit Amor.
Abſq; quiete quies, mentem concordia diſcors,
Et ſine pax vllo munere pacis agit.
Me mala Tartareis, vexant, quæcúnq; ſub vmbris
Dis, et Tiſiphones exigit vlla ſoror.
In mediis exurit aquis ſitis arida fauces.
In ſua ſuccreſſit vulnera triſte iecur,
Imminet alta ſilex humeris, reuolubile ſaxum
Voluitur, effuſis Belias addit aquis.
Dulcia amara premunt: ſors vtraq; dura, leuiſq;:
Nec facile expediam quam mihi abeſſe velim.
Tantum in me Paphius iuris ſibi vendicat ales.
Tantum in me imperii mellea Cypris habet.
Lumina qui neſcis, teneræ vel baſia nymphæ,
Hæc lege: et exemplo diſce quid illa meo.

Ad Sydera.

Sydera, quæ vitrei laqueato in fornice mundi,
Splendetis tremulis vndiq; luminibus,
Seu vos blandus amor genuit, ſeu *Jupiter* olim,
Quum ferret dominæ baſia prima ſuæ;
Adſpicite ô: ſi quicquam influxu hæc infima cœli,
Et tacitâ aſtrorum ſorte reguntur ope.
Vos dominæ ſenſim mihi conciliate fauorem:
Saxeaq; ad faciles ſternite corda vias.
Vrimur hei, taléſq; eructant pectora flamas,
Quales in celſis Sicilis Ætna iugis.
Aut quales rapido ſemper vomit igne Veſeuus,
Hecla vel Arctoi preſſus ab axe poli.
Sin vobis duram dabitur quandoq; puellam
Flectere, quo noſtras audiat vlla preces;

Thura

Thura dabo:(quoq; haud maius,) tũ veſtra preca-
Sint paria illius lumina luminibus. (bor

Ad Pantheam.

Nunc, o, nunc illas pulcherrima reſpice flamas;
Quas fecere oculi.quas aluere tui.
Reſpice nocturnis languentia lumina curis.
Et nimio madidas imbre perenè genas.
Reſpice me duras ſolantem carmine curas:
Quale canit,certus funeris,albus olor.
Hancq; oro vel perde animam;vel numine ſerua:
Quæ tibi vti viuat,iam mihi Diua perit.

Salue.

Salue *Panthea*; ter, quaterq; ſalue;
Tui delitiæ,iociq; vatis:
Quam plus ille oculis ſuis amando,
Torquet ſe magis indies, magiſq;.
Salue,cui niueo genas rubore,
Salue,cui roſeo genas nitore,
Illi quo indomiti facem furoris
Accendas; charis imbuit: Venuſq;.
Salue,quæ illicibus trahens labellis,
Dulci nectare toxicum propinas.
Salue,quæ vagulis et huc,et illuc,
Tercenum iacularis,ex ocellis,
In cor,et rapidum iecur,ſagittas.
Salue,noctifugæ iubar diei.
Salue,lucifugæ *Diana* noctis.
Quæ ſi quid libuit diem reducis:

Et

Et noctis simul imperas tenebras.
Salue, grata animi ruina. Salue
Frustra tot modo mors petita votis.
Salue, spes noua: faxq; amica flāmæ.
Et solatiolum feri doloris.
Salue, Hyblæ fauus, Atticiq; mellis.
Salue, passere blandior Catulli,
Si quando libuit tibi iocari:
Et tristes animi fugare curas.
Turtur, atq; columbulilla, Salue;
Quæ molles Veneris trahis iugales.
Salue, læta Venus: superba Iuno.
Salue, casta Diana. docta Pallas.
Et salue, pueri medulla Amoris,
Salue, quod Charitum est venustiorum.
Salue, quicquid habent vbiq; Diui,
Quod dulce, et placidum est, et integellum.
Et post, *Panthea*, cuncta, postq; plura;
Salue, quod *Leochæus* est sibi ipsi.

Panthex Oculi.

Dum mea lasciuos in me contorquet ocellos
Panthea, et argutâ plurima fronte notat,
Obstupeo; gelidæ spectans confinia mortis:
Constituoq; isto viuus in igne rogum.
Infelix! mors est, in tanto posse dolore
Viuere: et in tali morte perire dolor.

Idem.

Panthea, formosos ad nostra incendia vultus,
Flecte precor vultus ad mea damna tuos.

Flecte

Flecte precor, ſed quũ tremuli radiantur ocelli,
Fixa manent animo vulnera quanta meo!
Ah! nequeo tantos, nequeo perferre calores.
Conde igitur vultus, *Panthea*, conde tuos.
O mea lux, mea crux, mea vita inuita, quid hoc eſt?
Qui tecum morior, te ſine viuus ero?

Adhuc.

Illa ego ſydereæ quoties faſtigia frontis,
Hiſq; oculis oculos haurio Nympha tuos;
Quicquid et ingenui minimâ ſine labe pudoris,
Spectari voluit non violandus Amor;
Vror, Acidaliæ traiectus arundine flãmæ:
Et magnum in minimo pectore vulnus alo.
Vror io, nec vulneribus locus inſuper vllis,
Adſpice cor; vnum quid niſi vulnus erit.
O igitur, vel tela puer ne prome Cupido:
Vel face, vulneribus ſit locus inde tuis.

Cupidini.

Cur mihi Apollineæ nunquam nocuere ſagittæ?
Nec rigui Phrygio marmor ego in Sipylo?
Cur mea languenti non ſoluit membra veterno,
Saga Cytæëis Theſſala carminibus?
O ſoboles blandæ nimis imperioſa Dionæ,
Aduerſum voris numen vbiq; meis,
Quid potis in toto fieri crudelius obe?
Quæ rapit indomitas ſæuior ira feras?
Nonne fuit ſatius quoſuis perferre dolores?

Noune

Nonne vel irati tela trisulca Dei.
Aut miserum liquidas demittere corpus in vndas:
Hàc vbi Leucadiis fata petuntur aquis:
Quam dominæ incertâ vitam sic ducere ab aurâ:
Sicq; alternanti, spesq;, metuq;, premi.
Spes iuuenũ, pacisq; author, Deus auree amoris,
Desperem; haud metuam; vel face dispeream.

Cur oculos dominæ fortius intueri nequeat.

Si fas Idaliam foret Dionem,
Si fas Castaliam foret Thaliam,
Si fas Oebaliam foret puellam,
Vni, tres, simul, et semel videre;
Quales delitias, procacitates,
Qualas blanditias, Dii, Deæq;,
Læti mî misero darent ocelli?
Cæci mî misero darent ocelli!
Nam quis lumina tanta, tanta, tanta,
Posset luminibus suis tueri:
Non statim trepidansq;, palpitansq;,
Præ desiderii æstuantis aurâ?
Vel quis sydera tam propinqua cernat,
Tam pulchra, irradiata, tam venusta;
Non statim tenebras pati coactus,
Præ ardoris nimis impotentis igne?
Ergo, ô Panthea, quum vagis ocellis,
His illis faculis mei furoris,
Mirantes homines, Deosq; ducas;
Et raræ implicites decore formæ:
Ergo, ô Panthea, quum vagis ocellis,
His his fontibus, ah! mei doloris,
Incautos homines, Deosq; perdas;

Et raræ interimas decoræ formæ:
Miraris, mea lux, tuis gemellis
Totus quando ego pendeam ex ocellis;
Et sic perditè amem, vel impotenter.
Quantum quis pote plurimum vnquam amare;
Cur tamen fugiam: meosq; condam,
Visis luminibus tuis, ocellos.
An nescis, mea Nympha, vita nescis,
Quanuis vincula amoris illa chara,
Queis tu me implicitum tenes ocellis;
Quanuis mors mihi gratiorq; vitâ,
Quam tu istis iacularis ex ocellis;
Tamen compedibus premi his amoris,
Nolim cernere me: nec a gemellis
Tam sæuùm interimi videre ocellis.

Basia.

Nunc age, quot puro radiant vaga sydera cœlo,
Quot patet æquorei piscibus vnda Dei,
Mala quot Alcinoi, quot lusus vnbra Priapi,
Et quot mellificas spectat Hymettus apes,
Gargara vel quot habẽt segetes, vel fertilis Emmæ
Quot vaga per campos gramina tondet ouis,
Basia tot; roseis tractim mihi iunge labellis,
Panthea: et ambrosias diuide ab ore dapes.
Sed volo vt ingemines, iterumq; iterumq; petita.
Vtq; iterum repetas. et repetita petas.
Sic iuuat indomitis circum præcordia flamis,
Sic et nequitiis consuluisse meis.
Basia sic repetita placent, repetita placebunt,
Dum tua erunt labris trita labella meis.

De

De Baſiis dominæ ſuæ.

Balſama quæ Pharius vitreo lauit agmine Nilus,
Grataq; ſacratis thurea dona focis,
Peſtanæ decus omne roſæ, fragrantia mala,
Qualia Phæacum nobilis hortus habet,
Mel quod Hymettæis ſtipauit ſedula cellis,
Mel quod in Hyblæo culmine legit apis,
Vina ſed hæc prælis modo quæ diffuſa Falernis,
Aut quæ dent Chio vincula rupta cado,
Qualia frondiferâ raptus puer aureus Idâ
Miſcet amatori pocula grata Ioui,
Omnia ſi iungas, fragrantia, dulcia miſcens,
Iuuenies dominæ baſia pura meæ.

Votum poſt baſia. Veneri.

Blanda Venus, quantis ouerauimus æthera votis,
Quas non ſolicito fudimus ore preces,
Illa diu licuit dum ſtringere colla lacertis,
Lacte, vel Æmoniâ quæ mage pura niue!
Et bene confertis leni cum murmure linguis,
Laſciuo teneras figere dente notas!
Tunc ego cygnæas volui quam ſumere pennas!
Quam volui vultus taure proterue tuos!
Quam volui verſâ ſubito tranſire figura,
In quæcunq; potens corpora ſumpſit Amor!
Vt noſtris tandem illa dolis ſuccumbat, et arte;
Quam poſſunt nullæ flectere blanditiæ.
At mea quum rapidæ diſcerpant verba procellæ:
Nec tangant magnos inuida vota deos:

Hoc

Hoc vnum, aligeri genetrix precor alma puelli,
Quæ Paphon, et Golgos, Idaliumq; regis,
Si quintâ de parte tui nil nectaris addes;
Da, da his purpureis immoriar labijs.

De Amore.

Quid tot numina profuit, Vetuſtas,
Thure, et continuis rogaſſe votis:
Vnus quum fuerit Deus deorum,
Formoſæ Veneris puer *Cupido*?
Ille fulmine *Jupiter* potenti.
Mars, armis. Deus æquoris, tumultu
Curarum malè fluctuante mente.
Dis eſt, perpetuis premendo pœnis.
Flammis Mulciber. Æoluſq;, anhela
Quum ſuſpiria corde mittit imo.
Luce *Cynthius* eſt: ſororq;, noctu:
Quum certâ furit improbus ſagittâ.
Pallas cuſpide. *Iuno* ſuſpicatrix,
Multum *Zelotypo* cauens timore.
Venus blanditiis, iocis, ſuſurris.
Interpres ſuperûm, inferumq; diuûm,
Dulci quando animos mouet lepore.
Idem thyrſiger eſt repente *Bacchus*,
Blando corda vbi inebriat veneno.
At quod mõſtra domet ſuperba quæuis
Magni clauigera eſt *Iouis* propago.
Hic ergo Veneris puer *Cupido*,
Vnus qùum fuerit Deus Deorum;
Thure, et continuis rogaſſe votis,
Quid tot numina profuit, Vetuſtas?

Palinodia.

Ah me me! hoc igitur fuit,
Quod lymphæ latices olim Aganippidis
Propter, dulciſonæ chelys
Pulſaui digitis fila trementibus?
Vt dulci dominæ meæ,
Tam gratus modò iam qui bene vixerã;
Quo nullus potior dabat
Ceruici teneræ brachiolum teres:
Nunc diuiſus ab arbitræ
Et vitæ, atq; necis, lumine Pantheæ;
Nil deſiderium graue
Præter, mî reliquum ſortis amabilis,
Multis (heu) lachrymis miſer
Suſpirem toties? quæ mala mens deûm,
Quis vecors furor, in ſcelus
Et tam grande nefas præcipitem dedit?
Ten' ô dulce decus meum,
Ten' ô delitiæ, et blanditiæ meæ,
Et iucunda ſuauitas,
Ten' ô baſiolum dum licuit meum,
Ten' ô mille meæ faces,
(Queis iam non dubitẽ occũbere millies,
Si primus redeat fauor;
Et diducta iugo corda adamantino,
Cogat perpetuâ fide,
Formoſæ Veneris blandidulus puer.)
Ten' inquam, (hei mihi) carmine,
Inſano, rigido, carmine noxio,
Læſi: et ſuſtinui parum
Iſthoc meme etiam tempore perdere?

Quiſnàm

Quiſnàm has, quiſnàm Achelous has
Infames maculas criminis eluet?
Aut quis turbine, carmina hæc,
Eurus per vacuum differet aëra?
Tu tantam precor ô mihi
Turpem ignominiam dilue *Panthea.*
Nec me ſuppliciter tuos
Proiectum ante pedes, abiice: turbido
Iracundior Hadriâ.
Sed mitis patere hanc deprecer, et fauens,
Culpam ſollicitâ prece.
Nec lentâ miſerum ſollicitudine
Torque cor tibi deditum.
Ne fractus nimiis tot querimoniis,
Nigras adſpiciam domos;
Et cymbæ leue onus Tartareæ ferar.
Quin ô, quin potiùs mea
Lux, per te æthereo lumine adhuc fruar;
Vernos continuans dies,
Dum feruet calidus pectore ſanguis; et
Multus me ſubigit puer,
Tam bellè vagulis dicere ocellulis,
Et blandè variis genis,
Et ſparſis tua per collula eburnea
Sic nullâ arte cappillulis,
Quas non ô ſuperi, blanditias, dii!
Et ridens ſolitum mihi,
Da, da nexilibus vita lacertulis
Puræ in colla niuis ruam:
Fixurus tibi per baſia centies,
Centum baſia millies:
Lingua et quot male nõ faſcinet improba.

Quêis si me cumulaueris,
Qui desiderio langueo, amor, tui;
Tum me cælitibus choris
Adscriptum, ambrosiâ, et nectare vescier
Credam: quodq; magis velim,
Mî te, me tibi, me reddideris mihi.

Rogat vt ad primos amores redeat.

Ista licet puras iaculentur lumina flamas,
Hic licet iusideat cum face toruus amor,
Respice languentem: dulciq; ab amore renulsũ
In tua captiuum retia Diua trahe.
Quid mihi pofuerint gelidæ cũ fõtibus vmbræ,
Quid mihi promissus te sine posset hymé?
Hora die sine te, sine te non mensis in anno;
Hora dies quin sit, mensis et annus eat.
Nanq; ita mens non sana tui se in imagine versat,
Posse quidem vt nequeat, nolle carere velit.

Ad Sodalem.

Si sapis insano noli comes esse poëtæ,
Dum repetit dominæ tecta superba suæ.
Ianua flãma etenim. flãma area. limina flãmæ.
Tota domus dominæ deniq; flãma meæ.
Ipsa inter medias flãmarũ est flãmula flãmas:
Vrit enim mammis. lumine, fronte, genis.
Si non vis fieri miser, has procul effuge flãmas:
Et disce exemplo cautior esse meo.
Pro dulci facie reris sin ista ferenda;
Hinc quoq; abi. talé nanq; ego nolo *Ioue*.

Lusus

Lusus Amatorius basiorum.

Dum modo purpureis committo labra labellis,
Ad dominam hinc animam detulit aura meam.
Verum ego dum sequor; et fugitiuã labra reposco;
Et noua per solers basia mille volo;
Illius à nostris anima est deprênsa labellis:
Dum metuit nullos obuia facta dolos.
Ite sed ô, posthac eritis non basia tanti;
Hæc quoq; vti labris sit fugitiua meis.

Ad Somnum.

Somne papauereis frontem redimite corollis,
O requies curis sæpe vocata meis,
Cur ita nullus ades? cur qui placidissimus audis,
Tot superûm, Pœnis sæuior es Stygiis?
Cur mihi eunt sine luce dies: sine nocte tenebræ:
Vt vacet officio tempus vtrumq; tuo?
Mitius ergo feris Getulâ in rupe leænis?
Mitius est rapidis per iuga montis apris?
Illis tuta quies securis serpit ocellis.
Illis non fletu nox vigilanda venit.
Cum pare quisqûe suâ, viridi procumbit in herbâ:
Autraue de viuo pumice structa subit.
At mihi quando illum felix portauerit Eos
Luciferum, roseis fræna tenens digitis:
At mihi somne vehes illam quando auree noctem,
Libera quæ curis, tota quiete fluat?
Nunquãne in fessos placitum perrepere ocellos?
Mî soli misero ianua clausa tua?
Perde age quin potius nigraq; natantia morte
Languida ferratâ lumina claude manu.

Perde age.at interea dũ me precor ire ſub vmbr
Iuſſeris,et Stygii viſere regna *Iouis*;
Baſia,et optatæ amplexus mihi finge puellæ,
O,vt ſic moriar,ſit mihi ſæpe mori!

Stellæ Cadentes.

Aurea dum tacito voluuntur ſydera lapſu,
Quà nitet in medio lactis imago polo,
Ante meæ ſtabam placidiſſima lumina diuæ!
Lumina ſydereis iuuidioſa globis.
Quum ſubitò ante oculos de cœlo lapſa ſereno,
Conſumpta in ventos plurima ſtella abiit.
Tunc ego,non vani tandem miſerere furoris;
Nec ſine me aſſiduas perdere dura preces.
Quod rapiat tua forma homines,nõ,*Panthea*, mi
Quum trahat è celſo ſydera clara polo. (e

Adhuc.

Deſine mirari,cur noſtræ ante ora puellæ,
Decidit è nitido plurima ſtella polo.
Scilicet has puduit cœlum tenuiſſe,niteret
Purius,in medio quum mea diua ſolo.

Ad Pantheam.

Delitiæ o ſuperũ, atq;hominũ ſine labe volupt
Blanditiæ Veneris,verus amoris amor,
De face fax, rapido de vulnere *Panthea* vulnus,
Or q;, atq;animi cura ſuprema mei,

Ecqui

Ecquis erit lætis qui ſtringet colla lacertis?
Qui tibi non duræ baſia pura feret?
O vbi erit quem tu parili dignabere flãmâ?
Neſcio. verùm vbi ego, ſi finis, eſſe volo.

Pulchritudo.
Eius Pulchritudo fugientem reduxit.

Credidimus Paphiis iã libera colla catenis;
Credidimus nullo vulnere pectus agi;
Quũ ſpẽ cõpoſitâ mea *Panthea* pace fefellit
Cœpit et antiquas rurſum animare faces.
Nã, ſeu purpureos auro rutilante capillos
Adſpicio; veteres detinet illa faces:
Siue ego ſydereis radiantia lumina flãmis;
Accendunt veteres lumina clara faces.
Siue miſer geminas parili moderamine mammas;
In veteres rapitur mens furioſa faces:
Pectora nuda vagus ſi fortè adſpexit ocellus;
Enecat antiquæ fax noua iuncta faci.
Siue dedit placidos facilis mihi frontis honores;
Tunc arctat veteris compede blanda facis.
Siue genas ſpecto; marmor ſpectatur: ineſcat
Sola, trahens veteres, méq;, meaſq; faces.
Detinet, accendit, rapit, enecat, arctat, ineſcat,
Crine, oculis, mammis, pectore, fronte, genis.

Ex pulchritudinis admiratione, de exitu amoris dubitat.

Cernite nectareo diffuſos rore capillos:
Cernite ſydereos lumina bina globos.

Cernite

Cernite diuinæ radiantem frontis honorem.
Perq; genas blandis lilia mixta rosis.
Cernite flamigero labra inuidiosa Pyropo:
Basia vbi,et teneræ verbula blæsa Deæ.
Cernere quis crines,oculos,frontemq;,genasq;,
Labraq;non magno pressus ab igne queat?
Hæc tamen,hæc miser adspiciens,fugioq, petóq;
Sic nocitura placent: sic placitura nocent.
O ignes! ô fax! puer ô sæuissime! si sic
Panthea tota Dea est;vnde futura mea est?

Flores Ad Pantheam.

Cernis vt Assyrios Zephyrus tibi spiret odores;
Explicet vt flauas Flora superba comas.
Cernis vt abjecto Paphius tibi seruiat arcu
Ales: et hoc variæ finxerit artis opus.
Accipe formosâ munus,pulcherrima,dextrâ,
O requies curis, *Panthea*,grata meis.
Hic rosa. et hic violæ. narcissi. lilia. calthæ.
Roscidus hic verno rore Hyacinthus adest.
Addidimus gemitus flãmæ monumenta: at odores
Hos:ne tu fieres inscia,fecit Amor.
Addidimus lachrymas; stillant hos lilia rores:
Et rosa puniceis sanguinolenta comis.
O miserere igitur. viden'? hi pro me tibi flores
Mille halant gemitus: mille pluunt lachrymas.

Cupidinem ex Iride,non Venere natum esse.

Non est, fallitis,ille quem putatis,
Poëtæ, Veneris puer, *Cupido*.

Illum

Illam nam auricomi thoro Fauonĩi
Iuncta Iris genuit: nec illa blanda,
Succiplenula, tota mollicella,
Concors ſola hominũ, et Deûm voluptas.
Hinc patris placidos refert ſuſurros.
Hinc matris varios refert colores.
Sed ah! plus variam refert parentem.

Adhuc.

Aut Iris Deus ille Amor eſt, aut Iride natus,
Aut matre non vllâ ſatus.
Reſpice enim, varios Thaumantis picta colores,
Vt nube format in cauâ;
Pectora tam vario, mentemq; accendit ab æſtu
Curarum Amor tumultibus.
Vulneribus rubrum, viridem vernantibus annis,
Lachrymis colorem cærulum,
Arcu, arcumq; refert. pulchelli triſtia vtriq;
Pariter ferunt mortalibus.
Hoc tamen vt ſimiles non ſint facit omnibus, arcu
Hic ſemper, hæc raro vtitur.

De Cupidine, et Se.

Per te, perq; tuas, puer ô pulcherrime, flãmas,
Per ſpumagenitæ lumina blanda Deæ,
Si dolor hic, oro, quænam mihi cauſa doloris?
Vnde mihi tanti ſurgit origo mali?
Vulnera ſi hæc, cuius crudeli fixa ſagittâ?
Quis tantum immites iuſſus habere manus?
Si dolor hic vnus, cur tam non vnus in vno:
Sed dubiâ incertum conditione premit?

Vulnera

Vulnera ſi, cur non ſequitur de vulnere ſanguis:
Sed furiant tacitâ viſcera noſtra plagâ.
Finieram, motis volucer Cytherëius alis
Riſit et hos placido reddidit ore ſonos.
Sit ſatis hoc ſciuiſſe; at cætera deſine diuis,
O mihi, et ô ſacris nate poëta meis.
Quod doleas; hominum eſt. quod vulnus, nec tibi
Illud de dominâ prouenit: hocq; Dea. (ſanguis;

Panthea nuda.

Anne licet propriis cuiquam Dîi credere ocellis?
Ludificantne oculos ſimulachra euanida noſtros?
Quicquid id eſt, videor certè vidiſſe, decori
Quod finxit Natura vſquam. ſic gloria frontis
Emicat; atq; omnes diuum ſuſpendit honores.
Sic flauent iuuenile comæ per eburnea colla.
Sic blandum adſpirant oculi; multiſq; coruſcant
Syderibus· ſuffuſa genis ſic plurima certat
Purpureis viola alba roſis. quæ baſia! quantum
Mellita ingenuum diffundant labra ruborem!
Ludit et in niueo ſublimis pectore ſanguis!
Quale decus tumidis Pario de marmore mammis?
Aut tam formoſis (vtinam mihi vincla!) lacertis?
Argento quàm tota manus ſtat facta? tenellis
Gratia quæ digitis, libuit ſi fortè canoræ
Tangere fila lyræ? qualiſq; aptiſſima belli
Forma pedis? quo, quam *Zephyreia Chloris* ouaret,
Candida ſi facili ſuper iret lilia greſſu!
Illud onus, ſibi terra leue, et ſibi mollia ferrent
Gramina: nec modicæ ſcirent veſtigia plantæ.
His me carminibus, meq; his pollentibus herbis,
Deuouit mea Diua prius, nunc ventilat omnes

In me tota faces. primoſq; (heu!) pectoris æſtus,
In furias rapit: et geminat ſub vulnere vulnus.
Sancta *Venus*, quũ cõpta ſinus, collecta capillos,
Et mea quum multis lucebit *Panthea* gemmis;
Spicula quæ ſparget, quæ vulnera mortis; inermis,
Nuda ſinus, reſoluta comas, ſi talia vibrat?

Exultat in amplexu dominæ.

O, in qua Natura potens ſe vicit; et artes
Perdidit. o, animi certa ruina mei,
At dulcis tamẽ et per quam periiſſe juuaret:
O cautes ratibus ſæpe petenda meis.
Iam felix dicar, poſitus quocunq; ſub axe;
Siue apud Eoos, ſiue apud Heſperios.
Quaúe tumens *Boreas* voluit radicitus ornos:
Et ferus aſſiduo flamine tollit aquas.
Seu quà regna Notus pluuiis exercet in oris,
Triſtis, et obſcuris horridus in tenebris.
Me quæcunq; ferent, ſeu proſpera, ſiue ſiniſtra
Fata vias; nullo fine beatus ero.
Hìc te ego nam cupidis ſtringo, mea vita, lacertis,
Inq; genas, oculos, et tua labra, ruo.
Regna quid ô prodeſt, quid opes iactaſſe Tyran-
Hoc vno, diues, rex mihi, ſumq; Deus. (nis?

De nimium effuſo ſuo gaudio in amplexu dominæ.

Sacra bonæ Veneri, dum ritè incepta pararem;
Mens mea delitiis ebria facta ſuis,
Prima bibens pleno de gurgite gaudia pura,
Eripuit dominæ gaudia pura mihi.
Cui querar ô diũum? qua ſpe lactaſtis inanem?
Cur mihi nîl, menti ſunt data cuncta meæ?

O precor,ô,ſine mẽte, aut mens ſine mẽ,
aut mihi mens ſim;
Aut date,vt eludam,mens ego mentis eam.

Lectori.

Paginæ quiſquis numeros iocoſæ,
Forte ſpectabis petulante ocellõ;
Mitte ſectari nimis otioſâ,
Singula mentẽ
Quando,vbi,nudæ ſpeculator hæſi
Virginis. purè an niueas papillas
Preſſerim. num contulerim beatis
Baſia labris:
Nam *Venus*,namq; hæc Veneris decoræ
Callidus dici vetuit puellus.
Et pudor caſtus.Charitumq;iuncta.
Turba pudori.
Ille non dignus facili eſt puellâ,
Cypride aut dextrà,Puero aut fauente,
Furta qui,et luſus thalami,impudico.
Carmine pangit.
Ergo,quæ nudâ fuerint puellâ,
Vota mî,narraſſe;ſatis;ſuperq; eſt.
Si quid hæc vltra; Veneri, atq; nato
Seruo;mihiq;.

FINIS.

Libri

EROTICON.

Liber Secundus, cui titulus,

PANTHEA.

Ad Libellum ſuum.

Dicebam, caue progredi libelle,
Iſtuc, vnde pedem vagum referre
Vix vllus poteris. pili ſed vni
Tu me non faciens, ſubinde pergis;
Et damnas domini oſcitationes:
Auſus currere; primulum vmbilicum
Vltra. quidnã ego, quid putẽ hoc libelle
Quis tantos animos tibi moleſto
Immiſit, ſuperúm inferumne Diuúm:
Vt noſtram expeteres nocens ruinam?
Cælari an potes hactenus furorum?
Et neſcis pueri volantis arcus?
O, non hoc tibi ſalſe, non abibit:
Nec ſic effugies meos dolores:
Nam quot, per iecur hoc, deus calorum,
In me continuis dabit ſagittis;
Tot certò tibi protenus remittam.
Vt tandem ignibus vndiquaq; preſſus,
Deſiſtas furere hunc tuum furorem.

Seruitium dulce amarum, ad Pantheã.

Recede

Recede, ah! dolui ſatis, recede
O; noſtri modo quam nihil miſertũ eſt;
Quum multus rueret iecur *Cupido*.
Quid loquacibus intuere ocellis?
Blanditiſq; tuum vocas loquelis?
Quid primas iterum parans cathenas,
Sic me perdere dura concupiſcis?
Vt lentum nimis imbibam furorem.
Vt totas miſer vſtuler medullas.
Vt deſiderio tui liqueſcam.
Recede; ah! dolui ſatis, recede.
Ah! iam parce meæ precor iuuentæ.
Parce iſtas iterum ciere flamas.
Parce iſtas faculas mouere. quod ſi,
Me vis aſſiduo perire ab æſtu; et
Accendi magis indies, magiſq;,
Et premi ſolito magis dolore;
Sis mî durior omnibus lapillis;
Sis mî ſæuior omnibus leænis.
Sis laſciuior vſque vel Catullo;
Catullo patre Baſiationum.
Vt tandem rapido peruſtus igne,
Et totus cinis, et leuis fauilla,
Diſſoluar penitus: quaterq; felix,
Letheæ videam paludis vndas.
At tu, quà lubet interim, puella
Recede, ah! dolui ſatis recede.
Sed quidnam volui mihi; malorum
Qui tantũ cuperẽ? vnde degener mî hic
Circum corda pauor; carere vt illâ,
Quæ tam bella, pudica, blanda, prudens
Pos quouis pueri eligam dolore?

Ergo

Ergo,dura licet,redi puella:
Et ſtatim in gremium meum recurre.
Nam,quis lacteolas ſinu papillas,
Tam pulchrè,et modicè ſororiantes,
Quis inquã adſpiciet;nec ingemeſcet:
Optabitq;ſemel ſuauiare?
O papillulæ,ô integræ papillæ,
Quem non ignibus vſtulantis auræ,
Oblitumq; ſui,et ſatis ſuorum;
Cogetis dominas pati cathenas?
Vel quis, quis globulos duos micãtes,
Potis fortibus intueri ocellis?
De queis ſpicula mille, deinde centum,
Dein mille altera,dein ſecunda centũ,
Dein vſque altera mille, deinde centũ;
In me,vulnificis puer ſagittis,
Vt me ſurripiat mihi,*Cupido*
Contorſit:breuiterq;, fortiterq;
Qualis flamiuomis nitor capillis!
Qualis blandidulis decor labellis!
O dii,dii!hæcne aliquis videbit,atq;his
Detorquere queat ſuos ocellos?
Non hæc corde meo ſilex reſedit.
Ergo,dura licet puella,multò
Cernas me miſerũ;et premas iacentem;
Quanuis tergemino impetas furore,
Mille et tela *Cupidini* miniſtres,
Papillis,oculis,genis,labellis,
Sæuâ tigride ſæuior;redito:
Et ſtatim in gremium meum recurre.

Sua flamma.

Flãma mihi dolor eſt. flãma eſt mihi ſũma volup-
Flãma mihi curæ. ſpes mihi flãma meæ. (tas
Flamma mihi furor eſt. flãma eſt medicina furoris.
Delitiumq; animi, deliquiumq; mei.
Flãma mihi calor, et ſimul eſt inamabile frigus.
Flãma mihi riſus. flãma mihi lachrymæ.
Flãma mihi labor. et dulcis grata aura quietis.
Flãma eſt quod fugiam. flãma quod vſq; petam.
Flãma eſt, quod nullo me vulnere ſauciat ægrũ.
Flama eſt, quod ſtringit me ſine compedibus.
Flãma mihi ſine luce dies. ſine nocte tenebræ.
Flãma agit ingenium, flãma premitq; meum.
Flãma eſt, quod mihi me raptat. quod me mihi
(reddit.
Quodq; nocẽdo iuuat. quodq; iuuãdo nocet.
Deniq; flãma Amor eſt. Amor ille eſt blãda puella.
Illa puella Dea eſt. et Dea Nymyha mea eſt.

Illa inconſtantem reddit.

Si fleo, ſi lacrymis rorantia lumina ſicco;
Lætaq; ſi cantans carmina, triſtis eo;
Si uolo, quod nolo; ſi nolo, quod volo; ſi ſic
Aſſiduo in mediis vror anhelus aquis;
Si vellem, et rapidas nollem ſenſiſſe ſagittas;
Odi ſi, quod amo; ſi peto, quod fugio;
Si premor, atq; eãdem curis diſſoluor in horã;
Si ſit triſte mihi viuere, triſte mori;
Non mirũ. leuis eſt pharetrã metuendus, et arcu
Et leuis eſt, flãmæ *Panthea* cauſa meæ?

Ille

Ille leuis, leuibus violauit viscera flãmis:
Illa leuis, similem me facit esse leuem.

Panthea Cytharam Pulsans.

Dum pulsat teretes arguto pectine chordas,
Æmula Hyantæo Panthea nostra deo;
Aura per halantes incedens mollior hortos,
Munera agens verni fundit odora Dei.
Crimina Bistonij recolens Philomela tyranni,
Mille nouat vario gutture, mille modos.
Nuda pedem, diffusa comam, Zephyrëia Chloris,
In dominæ nectit florea serta comas.
Illa ego tum tremulis suspectans lumina ocellis,
Quæ mare, syderei quæ stupuere poli;
Hei! quos non gemitus, quæ non suspiria duxi!
Quam penè in totas pessim abij faculas!
Hinc me forma decens, blandæq; modestia frõtis,
Plurimaq; hinc teneris Gratia fusa genis,
Cæteraq; vt nequeãr, numeri, et vox cõsona chor-
Me non inuitum subripuere mihi. (dis
Quis locus insidiis, quid fraude, doliscq; vacabit:
Si latet in numeris fax quoq; Nympha tuis.

Adhuc Cupidini.

Improbe Amor, furibunde puer, violente puelle,
Mobilis, ast animi firma ruina mei:
Ergo ego sufficiam nouus in tua vulnera semper?
Nulla tibi præ me creta furoris erit?
O, velles istas alió trans ferre sagittas!
In me crudelis nec nimis esse diu!
Languida deficiunt multis en lumina telis:
Lumina, iam lachrymis flumina facta suis:

Fessa nihil nisi lingua faces, et spicula narrat.
Vndique odorantur proxima fata mihi.
Cor vomit admissas intra præcordia flammas,
Finitimo aridulum fumuat ab igne iecur.
Restabat vestris auris non saucia telis;
Iam cadit in titulos hæc quoq; præda tuos:
Dum dulces numeros auidùm bibit: inscia quanti
Sub numeris foueat fraude latente Deum.
O ego, tam dominæ, quâ sum tuus, author amoris,
Aut quàm non dominæ, non tuus esse queam!

Omnibus præferenda, modò redamare velit.

Cælicolûm regina, Iouis soror alma, superba est,
Cypria Strymonio sit Dea mœcha Deo.
Attica terrificâ metuenda est Gorgone Pallas,
Insequitur sæuas sæua Diana feras.
Nostra superba minus, nostra est mage Panthea:
Vt formosa magis, sic quoq; sæua minûs. (pulchra
Penè anteit iam Diua Deus. sed amabit amantem.
Hoc erit, hoc homines, hoc superare Deos.

De floribus, in Pantheæ gremio marcescentibus.

Narcissum, et violas, et purpureos Hyacinthos,
Et tibi heri è blandâ munera verna rosâ,
Lecta meis manibus, misi mea Vita: sed illa
Iam video in gremio languida facta tuo.
O sortem nec-opinam! illic potuere perire,
Et subiti fati iura sinistra pati,
Vnde mihi reditus vitai ad limina, quanuis
Annosa veheret trans Styga lintre senex,

Nec

Nec tamen his niueo mammeæ candore ſuperbæ,
Sed nocuere oculi ſyderea bina tui.
Quid rear? aut quid ego ſequar? aut quid deinde (timebo:
Si de luminibus mors ruit vna tuis?

Adhuc.

Erraui. certè his niueæ nocuere papillæ:
Et nimiâ glacie pectus vbiq; rigens:
Nanq; ibi Riphæi montes, et frigora Brumæ.
Nanq; ibi ſunt ſcopuli: cumq; adamante, ſilex.
Vos tamen, ô certo flores ſine fine beati,
Queis dominæ dulci molliter in gremio
Contigit oppetere. atq; animam ſimul exhalantes
Languidulas molli in ſede locare comas.
Nanq; ego fata etiam ſubito ventura timebam;
Ne de me vobis mors inhonora foret:
Atq; hic qui rapidis exhalat ab oſſibus ignis,
Ne nos aridulum verteret in cinerem.
Nunc, quoniã periiſſe datũ eſt, nõ morte pudẽdã;
Fata ego viuaci carmine veſtra canam.
Et dicam. En flores dominæ breue muunus, ab æſtu
Dum fugiunt, gelidâ diriguere niue.

Sodilj.

Quæris, vbi noſtræ ſint tecta ſuperba puellæ.
Panthea quo vero nomine noſtra ſiet.
Cor domus eſt. noſtro nam ſemper corde moratur.
Et mea lux, mea fax, vel mea, nomen, hora.

Armilla de crinibus Pantheæ, ad imitationem Platonis.

Dum blandulis lacertulis,
Meam puellam vincio;
Et ſuaueolenti baſio,
Inſto labrorum purpuræ;
Animula tum primum, mihi
Viſa eſt, herum relinquere:
Senſimq; facta transfuga,
Teneram volare ad Pantheam.
Hoc illa vbi ergo repperit,
Quæ mille nunc loquaculis
Vibrat faces ocellulis;
Tum læta, mitis, et fauens,
Simplexq; fruſtra credita?
De pendulis ſic leniter
Frontis decoræ margine,
Partem comarum demetens,
Centumq; nodis complicans,
Meo reuinxit brachio.
Ex illo, ego acrioribus
Iecur peruſtus æſtibus;
Et inſolenter turbidis
Curarum iniquè fluctibus
Iactatus huc, illuc, diu;
Suſpiro, anhelo, maceror:
Lachr, miſq; ſolis perfruor
Et mira prorſus, de ſtatu
Priore, fit mutatio;
Vt illa quæ vinxit modo

Mihi puellam, libera;
Nunc vincta, me reuinciat
Meæ puellæ, dextera.
Quum nec tamen, (quis crederet?)
Detur tenere eam mihi:
Nec, (quod velim.) illi, candidis
Me complicare brachiis.

Ad armillam.

Armilla, noſtri firma catenula,
Armilla gratæ vincula Pantheæ,
Quam è purpurantibus capillis,
Brachiolo ipſa meo reuinxit,
Quid me coerces; non ebore Indico,
Aurive maſſa ficta; nec æquoris
Superba Erythrei lapillis:
Compede nec pretioſiore?
Quis me Deorum perdidit? aut quibus,
Mutauit herbis Theſſala? cur modo
Qui tela, et ignes, et tumultus
Fulminis intrepidus coruſci,
Spreuiſſe tantum ſuſtinui: omnia
Quæcunq; ſortis iuſſerat inuidæ.
Vis impotens, ſtatim ſubire
Ad Pueri arbitrium paratus:
Nunc mollis, excors, inualidus, tener,
Ad vincla inermis tennia Pantheæ,
Vireſq; corporis priores,
Totq; remittam animos ſuperbos?
Ceu nobilis, quum per ſyluas vagum,
Proles leonis, protulerit gradum;

Armenta,cum paſtore,eunti,et
Cedit aper; validúſq;taurus.
At ſi canoris ter crepuit ſonis
Ales,diem qui præmonet aduenam;
Mutatq;, pertremitq;, abitq,
Præcipiti ſuper arua curſu.
O ſolue tandem,blanda cathenula,
Nexus feroces; et facilis ſemel,
Remitte:vel compinge eadem,
Meq;,meam et dominã,cathena.

Ad dexteram Pantheæ. Parodia Catulliana.

Tenella dextra, mollior Cayſtriâ volucre,
Vel albulis colũbulis,roſaúe purpurãte,
Serumúe vellere optimo,comave pexâ Adonei,
Itemq;dextra, concitâ ferocior leænâ,
Quum de vago nemore ſuos quis detulit catell
Reſolue vinculũ mihi malum,quod addidiſti;
Armillulamq; nexilẽ;capilluloſq; flauos
Doloſa:quæ palã ſtudes placere, quanquã iniq
Quæ nunc meis lacertulis refer tibi: et reſolue
Ne collulũ pulchellulum,genaſq; mollicellas.
Infuſa carminũ modis venena mordicaſſint:
Et inſolenter æſtues,velut ſuperba celſis
Quaſſata pinus in iugis,raucum fremente Cau

De Se,et Panthea.

Mille miſer Paphiis traiectus pectora telis,
Mille ſub ardenti vulnera corde tuli.
Multà quidem gemui. gemitus ſed mille valeb
Quid mihi:quum toties,vſq;,gemendo,gem
Mu

Multa quidem lachrymis ſuſpiria mæſta rigaui.
Mille mihi lachrymas nil lachrymare fuit.
Multâ etiam ſuperos in vōta extrema vocaui,
Mille fuit ſuperis ſurda querela mea.
Sic igitur gemitus, ſic quum lachrymæq;, Diiq; ,
Non poſſent miſero ferre ſalutis opem,
Ad dominam, ſubitos, rapui, mea gaudia, greſſus:
Vt mens, quo periit vulnere, ſalua foret.
Riſit ab auditâ veniendi Panthea cauſâ.
Nec mihi magnanimi cuſpis Achillis, ait.
Nō opus hac, mea Nympha, inquā. ſubitoq; nagāti
Nec tamen iratæ, baſia mille tuli.
Mira quidem res eſt. quot baſia, vulnera ſuxi:
Sicq; imprudenti perdita cauſa mihi eſt.
At te, ne ſubitâ funem vndique, et vndiq; flāmâ;
Hæc refer a labris baſia, Vita, meis.

Nihil omni parte beatum.

Dulcius harmoniâ cœli quid credimus eſſe?
Eſt tamen a reſonis ſors quoq; dura polis.
Sole quid vtilius? tamen idem corpora frangit.
Quid face lucidius noctis? at illa leuis.
Munera cunctorum tulerat Pandora Deorum:
Quæ peſtes homini, quæ mala ſola dedit.
Deme tamen ſuperis connexos orbibus orbes:
Non homo, non quadrupes, piſcis, et ales erit.
Solem aufer: nox vna oculis erit obuia noſtris.
Deme facem Phœbes: nox caua noctis erit.
Nō Pandorā homini, aſt hominē nocuiſſe putādū.
Iapetioniadæ cor ſine mente fuit.
Cuncta nocent, proſuntúe. nihil ſine labe, bonoq;.
Da mihi pro damnis baſia, Nympha, tuis.

Vni omnia sola.

Cur ego felici numeros ab Apolline poscam?
Cur Pindi aërii culmina nota velim?
Cur, mea Daphneæ cingant vt tempora laurus,
Ex Aganippæo pocula fonte petam?
Cur ego lasciuam Venerem, Veneriſq; puellum,
Suppliciter multâ ſollicitabo prece?
Telaq; plus metuam Pueri, quã mille phalanges
Et pluſquam Ægiochi fulmina rauca, faces?
Quid pharetrã ex humeris Pueri ſine fine ſonãtes
Vdaué ne lachrymis lumina ſæpe fluant?
Quid toties ducam ſuſpiria pectore ab imo?
Quid cadet auerſos ante querela Deos?
Perdere ſi certo potis es me ſola dolore:
Solaq; me certâ, Nympha, leuare manu.
Adſpice quam, ô, variis diſtringar, Panthea, curis.
Adſpice quam, ô nullâ parte quieſcat Amor.
Tu mihi ſola quies, quæ fixti vulnera amoris.
Quæq; noces, medicam ſola adhibe bis opem.
Nam mihi tu Phœbus. tu Pindus. laurus. et vnda.
Tu mihi blanda Venus. tu mihi dulcis Amor.
Tela. faces, pharetræ. lachrymæ. ſuſpiria queſtus.
Omnia at (hei!) quum ſis: cur ita nulla mea es?

In imaginem Amoris. ad Poetas, et Pictores.

Non hoc eſt, numeri quod eſſe fingunt;
Non hoc eſt, tabulæ quod eſſe pingunt:
Fruſtra fallitis, inſciumq; Vates,
Vulgus luditis: et colore falſo,
Pictores animatis has tabellas.

Nam

Nã nec mas,neq;fœmina eſt Cupido.
Nec rurſus Deus eſt. homoué,auiſué.
Non piſcis,neq; reptile eſt.nec vllum
Quod ſyluas habitet genus ferarum.
Non eſt Tartareæ ſoror Megeræ.
Non lapis,neq; pondus eſt metalli.
Et nil eſt aliud,quod exſtet vſquam.
Illum audacia ſed viris adæquat.
Illum vrgent muliebriter pauores.
Diuinum videt inſcius refelli.
Euentus tamen haud tenet futuros.
Huc ſemper volat in meas medullas.
Hic ſemper natat in meis labellis.
Hic ſemper repit oſſium in fauillis.
Si mitis,placidus,bonus,benignus;
Non ille è genere eſt truci ferarum.
Si nullis lachrymis meis mouetur;
Si ſemper premit; et grauat premẽdo;
Eſt Getula leæna,tigris orba.
Eſt cautes adamantina. eſt metallũ.
Et ſi præterea quid exſtet vſquam.
Ergo fingere ſi lubet,Poetæ;
Pictoreſue animabitis tabellas;
Non talem mihi fingite hunc Amorem.
Non talẽ mih pingite hunc Amorem.
Sed quum is omnia,quumq; nil videtur,
Sed quum idem nihil,omnia et videtur;
Fingite omnia,nilq;pingite vnum.
Pingite omnia,nilq; fingite vnũ.
Immo fingite cuncta,nilq; prorſus.
Immo pingite nil,ſimulq;cũcta.

Panthea inuiolabilis, si nolit.

Errat in argutis Puer irrequietus ocellis
Blanditur roſeis Euphroſenîa labris.
Candida lactentes colit vſque Aglaia papillas.
Stat propter niueos pulchra Thalia pedes.
Inuidioſa nimis ſeruat ſua regna Cythere.
Hæc pateant noſtris, hæc precor vna iocis.

Adhuc.

Torqueat vranimis in me licet ales ocellis
Spicula; et è roſeis Euphroſenîa labris;
Retia circundet geminis Aglaia papillis;
Toxica det niueos eſſe Thalia pedes;
Nec retegat ſua regna Venus; ſi ſola fauebis,
Accedet votis vtraq; turba meis.

Adhuc.

Lumina ſeruat Amor. Charitum ſed prima labella.
Proxima dein mammas. tertia ſola pedes.
Dulcè ſubobſcuris gaudet Venus ima latebris:
Ridet et hinc timidos inſidioſa viros.
Si faueas; oculos Deus, et labra prima, papilla
Proxima, terna pedes, Diua dabit latebras.

Miſera amantium conditio, exemplo ſuo.

Si fugio inſequitur volucer poſt terga Cupido:
Conſuetoq; iubet ſubdere colla iugo.
Libera, ſi maneo, flãma exſpaciatur; vt inde
Corda Puer multo noſtra furore premat.
Illa ego ſi video certantia lumina ſtellis;
Protenus è geminis fulmina ſunt oculis.

At ſi non video charâ diſiunctus amicâ
Corda Puer toto noſtra dolore premit.
Sic fugio,et prendor : maneo,et fugor, igne pro-
Sic video, et caleo.nõ video, et doleo. pinquo.
Hinc mihi ſeruitiũ durum,excidiũ imminet illinc.
Hinc mihi pœna furor:hinc mihi pœna doler.
Queis mea nunc tandem verſantur pectora telis?
Quæuè in me ſpecies decidit iſta mali?
Quin potius tibi ne ſemper labor, et mihi pœna,
Dum fugio,et maneo; dum video,haud video.
Quũ nec adeſſevelim,nec ab illa abſcedere poſſim
Cernere quum nequeam,cernere quod cupiã:
Sancte,manẽs fugiam,fugiens maneamq; Cupido.
Nîl videam cerneus : cernam ego nîlq; videns.

Omnia pro illa dulcia.

Dum ſpectas oculis laſciua loquacibus,eheu!
Arcano incautum vulnere pectus agis
Dum blandùm arrides,nec te das dura videndam;
Mille mihi furiant corquè,iecurq; faces.
Oſcula dum roſeis porrexti parca labellis;
Me mihi ueſcio quâ Panthea fraude rapis.
Nec tamẽ vlla queror.non tela nociua;nec ignes;
Nec mẽ ſemianimem parte carere mei;
Si quæ tela oculis ſparſti,et,pulcherrima,flãmas,
Meq; mihi abſtuleras;te mihi Nympha dabis.

Ad Oculos Panthex.

Melliti globuli meæ puellæ,
Suaues,blandiduli, proteruuliq;
Prædulces,vaguli, tenelluliq;,
Pæti,ſplendiduli,decentuliq,

For-

Formoſùm tremuli, ignetùm tuentes,
Vos tantum mihi concitaſtis ignem,
Immites nimis, improbiq; Ocelli;
Sed grati magis, et benigni Ocelli;
Vt quãuis premar vſque, et vſq, et vſq;
Et perdar, necer, obruarq; totus,
Tot, tantis, miſeris, maliſq; curis;
Quæ mî perpetui facem furoris,
Succendunt magis indies, magiſq;
Plus premi cupiam, velimq; perdi:
Et plus ferre necem, obruiq; tendam.
Quid vobis ego, pro calore tali,
Reddam; tam facili, fauente, amico;
Qui molli penitas mihi medullas
Flãmâ, et perpetuum iecur perurit?
Certè, quo ſuperi dediſſe vobis,
Maius nil poterunt, priuſuè, Ocelli,
Æternos ego comprecabor ignes.
Dein (noſtræ nihil vt beatitatis
Deſit) continuis rogabo votis;
Feſſi quando alios tuendo mille,
Vos toti aſpiciatis hinc vt ipſos.
Vt quos in me, alioſquè, veſter, illos
In voſmet iaculetur, ignis, ignes.

Ad labella Panthea.

Labella mollicella, tincta vernulo
Roſæ rubentis, et colore purpuræ;
Labella, dulcis vnde porrigit Venus
Cibum Deorum; et anxiis amantibus,
Sui ſuperba nectaris nec vltimum
Propinat; hocné mî negare baſium,

Mihi

Mihi hoc poteſtis? anne vos ferus Puer,
Puer ſuperbus, improbus, nocens Puer,
Cupido, iuſſit innocentẽ, et obrutũ
Suo furore, ſæuiore perdere?
Peruror. ardor intimos mihi ſinus
Medullularũ, et oſſium, ferox quatit.
Peruror vſque. at illa veſtra baſia
Beata ter, quaterque, quũ Labellula
Mihi videre contigit; magis, magis,
Amoris aura, ventilat facẽ face.
Quid altiore vulnere itis obrutũ?
Malorũ abunde vbiq; ſtat, Labellula.
Referre nomen anne vos meæ necis
Iuuat? referte. at yt cadã libentius,
Beatulorũ ab optimâ ſimul domo,
Vbi vſque voſmet intepetis inuicẽ,
Date vnicum oro, dulce, molle baſiũ:
Date vnicũ oro; at vnicũ hocce pluries:
Date oro plura, plura at illa mî vnicè
Labella mollicella: tincta vernulo
Roſæ rubentis, et colore purpuræ.

Faculis, et lachrymis.

Inſõnes faculæ, furiatæ incendia mentis,
Et lachrymæ fracti nuntia verba animi,
Ite citæ. Æoliis Aquilo iam clauditur antris.
Humidus in nullas ſoluitur Auſter aquas.
Ecce leuis facilẽ Zephyrus fore ſpondet amicã:
Et pulſa ad dominã nube ſecundat iter.
Dicite, veſano miſer vt Leochæus in igne
Æſtuet, et flãmas perſonet vſque ſuas.

Dein

Dein petite, vt lento ferat auxiliaria morbo
Pharmaca: ab Idaliis pharmaca lecta iugis.
Pharmaca erunt, dederit si respondétia nostris;
Et faculis faculas: et lachrymis lachrymas.

Idem contrariè petitum.

O Faculæ, non iam faculæ; sic surgite flãmæ;
Surgite de faculis fulmina magna meis:
O lachrymæ, non iã lachrymæ, sic crescite fluctus;
Crescite de lachrymis flumina plena meis:
Ite simul: multaq; meam donate salute:
Et mille aureolis basia ferte labris.
Dicite dehinc, tantos potis es quæ soia dolores
Tollere; ne certam, ne Dea differ opem.
Fulmina nec faculis, lachrymis neq; flumina siste,
Fulmina sed lachrymis: flumina sed faculis.

Male pictum sine Cytharâ Cupidinem.

Quisquis erat puerum primus qui pinxit Amorẽ;
Non habuit doctas scilicet ille manus.
Rite quidẽ ex humeris pharetrã suspendit, et alas
Addidit, et manibus tela, faceſq; dedit.
Idem etiam haud frustra nullo velauit amictu.
Haud frustra lumen clausit vtrumq; Deo. (tes
Quid tamẽ aut cytherænumeros prædulcè sonan-
Abstulit: aut blandæ fila canora lyræ?
Quum Pœbum cytharâ, Nymphâ Cyllenide natũ
Quum queat argutæ vincere honore lyræ.
Nanq; Amor in numeris sẽper; seu gaudet amator.
Seu gemit, aut proprio forte furore calet.
Gaudia sed cantus, sed tristia tẽpora questus,
Et furor in plausus, aut vocat in choreas.

Nec

Nec ſine méſurâ cantus, neque mœſta querela eſt.
Nec ſine ſit certis vlla chorea modis.
Hinc ego, qui teneri iaculis aſſuetus Amoris,
Aut gaudens, lachrymans, aut cano méte furesn.

Falſò cæcum eſſe Amorem.

Non eſt Lumine caſſus, vt putamus,
Formoſæ rigidus Puer Dionés:
Sed, cæcos facit. Ille nanque noſtrâ
Vexatus modo dum prece, et querelâ,
Depromit manibus faces tenellis;
Vt duræ iecur verret puellæ,
Quæ me tam valido peruſſit igne,
Attactus faculâ potentiore,
Totus obſtupuitq; conſtititq;:
Et ſenſim è manibus faces remiſit.
Donec prævalido igne colliquati
Admiſere diem retecti ocelli.
Nunc ne plus faculis ſuis valerent
Illi, ſyderibus pares ocelli;
Illuc præcipiti volauit alâ:
Detorquet ferus vnde tela mille.
At vos lumina candida puellæ,
Tam contraria perpetraſſe miror;
Cæco huic, munera contuliſſe viſus:
Videnti mihi at abſtuliſſe lucem.

Crudelis Amor.

Quid faciam? tantos furiati pectoris æſtus,
Quis ſuperiectæ leniet humor aquæ?
Nil ſed aquis opus eſt; lachrymarũ fonte perenni,
Quum ſemper madidis conſpicer eſſe genis.

Ergo,

Ergo, quũ lachrymæ mihi sint ceu fluminis vndæ;
Et puer adsiduo nutriat igne iecur;
Factaq; sit vetus hæc tandem discordia concors,
Vt nec aqua in me igné tollat, et ignis aquã
Vndæ vndas vndis, face flãmæ absumite flãmas.
Inq; meâ sæuus morte triumphet Amor.
Interea suprema mihi quũ venerit hora;
Iniicietq; atras Parca siniſtra manus;
Quisquis eris sortem insontis miseratus amantis,
Hæc precer in tumuli margine sculpe mei:
Siste viator iter. iacet hac Leochæus in vrnâ;
Cui noctem dederat lux: cui vita, necẽ.

Solem Cupidini Simillimum.

O lux aureola, ô decore Phœbe,
Qui noctis tenebras fugas inertes,
Orbi purpureum diem reducens;
Hæc spectas, oculis vbiq; versis?
Nam te credibile est Deũ esse amoris;
Qui me continuis petas sagittis.
Sic nudus. iuueniſq;. sic decorus.
Arcu nobilis. aureiſq; telis.
Sic et tu piceas per vsque nubes,
Emittis radios magis calentes:
Vt post iurgia amor, breues et iras,
Aspirat facula fauentiore.
Non tuos radios feret potentes,
Deses, debile; corpus otioſũ:
Nec sæuas domini faces amoris,
Qui Musis, Bromioq; non litarit.
Morbi corripitur pari tenore,
Qui tuo, pueriq. pressus igne:

Vim fortem nimis arguens Deorũ,
Oblitus minimi ſui vigoris.
Vno diſſimilis ſed eſſe Amori
Phœbe cerneris; ille nãm venuſta
Solũ in corporibus videre, ſed tu
Pulchra, et turpia ſæpè das tueri.
O, ſi candidulæ meæ puellæ,
Quũ primũ mihi pætulos ocellos,
Et colles niueos papillularũ,
Fecit viſa, ſimulq; concupita;
Tum cor perpetuo gelu rigeſcens,
Immitẽq; animum, et ferũ et ſuperbũ,
Oſtendiſſet iniquus hic Cupido:
Quã nullâ iecur vrerer ſagittâ!

Contraria monſtra Amoris.

Non in prælia protrahor cruenta,
Vt per terribiles volem phalanges;
Nec pacis mihi certa lex: fatigor,
Et premor magis indies, magiſq;
Accenſum glacies tenet. fauillæ
Inter lachrymulas perennè manant.
Tingor pallidulo miſer timore;
Quando in æthera ſpe trahor ſuperbâ.
Cerno, non oculi mihi ſuperſunt.
Clamo, non mihi lingua: nulla vox eſt.
Soluor, compedibus premor nouellis.
Stringor, nec mihi compedes nociuæ.
Suſpiro, tremulis alor cachinnis.
Odi, ſed quod amo, peto, negoq;.
Nolo velle meũ, voloq; nolle.
Quærens me fugio, petoq; rurſus.
Viuo, ſed ſine corde. ſto, voloq;,

Nec mî viuere nec mori neceſſe eſt.
Nec mî dulce mori, moriué triſte eſt.
O ſæuiſſime numinum Cupido,
O ſuauiſſime numinum Cupido,
Cor fallacibus imbuens venenis;
Cor veracibus exuens venenis:
Puer, ſed Pyliam potens ſenectam,
Annis, centimanum potens Gigantem
Armis vincere; ſpiculiſq; paruis:
Parce, nec mihi parce. ſiſte, perge.
Viuo, ſed pereo; miſer, beatus.
Tu mî lux nitida, et nigræ tenebræ.
Tu mî certa ſalus, mihiq; tu mors.
Otii cauſa mei, negotiiq;
Mellis cauſa mei, meiq; fellis.
Riſus cauſa mei, meiq; fletus.
Boni cauſa mei, maliq; cauſa.
Sed quo diſtrahor? ô Cupido, ſalue, et
Vale. nilq; nocens, nocenſq; totum.

Hos luſus nec flamma, nec aqua delebit.

Heus, vtrum eligitis? ſi flãmis flãma petatur;
Flãmiuomas poterit flãma cremare faces.
Si lachrymæ lachrymas nequeãt cõpeſcere fuſæ
Quî poterit lachrymas ebibere vnda meas?
Fax fluctus, fluctusq; faces quî deſtruet; ipſo
Quum fax in fluctu perſtet: et ille face?
Ite igitur duri; rigidiq; valete. nocebit
Vnda nec his fluctu; flãma nec vlla face.

FINIS.

EROTICON

Liber Tertius, et Quartus.

Siue,

ANACREONTICA.

EROTICON

Liber Tertius cui titulus,

ANACREONTICA.

De Se.

VErtũnus ora mille,
Pomonæ amore victus,
Sũpſitq; mille Pelei
Thetys exuens lacertos.
Et Metra mille mille
Variis latere doctus
Proteus ſubinde formis.
Mihi at iſta tota turba,
Herbãq; detq; palmã.
Ego nam maris potent'
Bene Carpathii, atq; Metrã
Thetidenq;, perditũq;
Pomonæ amore vincam.
Dum perpluã imbre malas
Cadente lachrymarũ,
Lachrymas Simonideas
Iurabis eſſe noſtras.
Sin læter otioſus,
Sin baſiem beatus,

Pater ipſe baſiorũ
Ero, blandulus Catullus,
Da plectra mî, lyrãq;,
Tũ Pindarũ æmulabor.
Noſtro admoue tubã ori,
Smyrnæus ibo vates.
Dein læde, habebis ipſum
Generũ impii Lycambæ.
Sed Amor potens, Amor me
Grauibus vocauit auſis:
Pronãq; mî ingeniî vim
Sua caſtra ad vſq; duxit.
Vbi me roſæ, atq myrti
Sertis, comas reuinctũ,
Madidas comas Lyæo,
Iubet eſſe Anacreonta.

Amandum ſibi, et bibendum.

Ne me vetate Amici
Ne me vetate amare:
Aut hauſtibus ſuauẽ
Haurire ſic Lyæũ.
Furere hunc volo furorẽ.
Curæ procul ſeueræ
Fugite hinc, abeſte curæ:
Curæ propago noctis,
Erebi et tenebricoſi.
Atq; ad ſenes frequenti
Migrate quæſo paſſu:
Canis quibus verendũ
Caput albicat capillis,
Fidoq; opus bacillo eſt.
Iuuenes decet iocoſis

Caput impedire ſertis.
Gremióq; mollicellam
Cupidos fouere amicam
Nam quorſum ego oro curem?
Propero pede inſtat ætas,
Senium ferens moleſtum;
Curáſq; mille;et vnà
Genera omnium malorum.
Videte,num hæc tenella
Dominæ meæ labella,
Curent:ſed ecce labris
Trecenta baſiorum..
Referunt ſubinde noſtris.
Aut hic,videte,vino
Cratera,quem corono,
Num curet; ille dulci
Tamen madet Lyæo.
Ne me ergo,ne me amici
Vetate abhinc amare:
Aut hauſtibus ſuauem
Haurire ſic Lyæum.
Furere hunc volo furorem.

Ad Puellã ſuam. Pro baſiis.

Age,flãmeũ labellũ
Dulcis puella pande:
Suauiq; ne tuorũ
Beare baſiorum
Me nectare,erubeſcas.
Ita;mi columbulilla,
Conchatim ades labellis.
Animamq; te petentem,
A meq; iam volantẽ,

Sugẽ

Suge halitu ſuaui.
Ita quæſo. Sed quid hoc eſt.
Quid flãmeũ labellũ
Dulcis puella condis?
Quid me fugis? tuiſq;
Diſiungis a labellis?
Hocné ergo baſiare,
Hocné eſt fauere amanti?
Ita me petulca ludis?
Ita me proteruula angis?
At baſiare ſi ſit
Hoc quod mihi dediſti;
Ne baſiem amplius: ſed
Prohibe tuis labellis.
Minus nocet Voluptas
Neſcire quid, ſcientem
Quã haud poſſe eâ potiri.
O cura permoleſta!
O iuncta cum dolore
Incœpta vix Voluptas!
O baſiũ, nec illud
Quod baſium eſt: ſed illud
Deſideriî quod alti
Vis, baſio volebat!

Ad Sodales.

Stellas polus micantes,
Orbem orbis, ignis auras,
Auræq; aquas, aquæq;
Terræ ſinus capacis,
Homines feraſq; terra
Complectitur: fouetq;

Quid

Quid ergo me decoram,
Vetatis ô Sodales,
Complectier puellam?

De Cupidine arante.

Vacuus Puer pharetrâ,
Positoq; liber arcu,
Cæpit repentè curui
Prensare dentè aratri.
Verũ mouere terræ
Glebas deo volenti,
Toruus per arua taurus
Quæsitus: inq; toto
Armenta nulla campo.
Iratus ergo patris
Domũ intuetur ignêã.
Et opus quid inquit oras
Terrarũ obire nobis:
Quũ seruet ipse Olympus
Taurũ mihi Tonantẽ?

Sodales ad bibendũ inuitat.

Me Dipsas, ô Sodales,
Momordit: huc adeste.
Inebriari oportet.
Ego nãq; qualem in vndis
Pelopis pater refecti,
Sitio sitim, vel illa
Venator ebriam quã,
Et prendit otiosam,
Cum tigride vsq;, læti
Panthera quæ Lyei
Currus trahit superbos,

Sed

Sed vbi eſt puella, blandis
Collum mihi lacertis
Quæ heri reuinxit: et bis
Ter mille baſiis me
Beauit heic bibentem?
Ita me iuuent Iacchi
Comites, Venuſq; Amorq;;
Ita me Iuuenta præceps;
Riſuſq; candidiq;
Cum Gratiis Lepores;
Niſi iã illa, iam citato
Paſſu adſit, amphoráſq;,
Scyphóſq; frangam: et ipſũ
Peſſundabo Lyæũ.
Nam quid poëta prodeſt;
Qui Bacchicis corollis
Caput impedire neſcit?
Vel quid bibens; tenella
Quẽm non fouet puella?
Ita ſemper iſta, firmâ
Connexa ſunt cathenâ
Nunquamq; ſeparantur:
Amans, bibens, poëta.

Sperandum eſſe.

Quid iã eſt, quod ãte non ſe
Inuenit eſſe? quid iam eſt,
Quod non erit: futuri
Reuolutione ab æui?
Quod iam vides, vbiq;
Subito recedet: et non

Exiſtet.

Exiſtet.idem at illud
Quod non erit,ſubinde
Exſurget. hinc peribit.
Ita nil vetus,nouumue eſt.
Speremus ergo:non ſi
Male nunc,et olim erit ſic.

Non poſſe ſe vno amore teneri.

Non vna forma terram
Commendat,atq; cœlum.
Non vna vis polorũ.
Non vna mens virorũ.
Viciſſitudo cunctis
Grata atq; amica rebus.
Viciſſitudo ſoli
Gratiſſima eſt amori.
Noli puella,noſtræ
Regina mentis,iſthæc
Tibi regna polliceri,
Quum Lucifer niteſcet:
Neſcis,quid hora neſcis,
Cras afferet futura.
Que forſúe quæ bonorum
Me cras aget furorũ.
Quod ſi tuum perennè
Me concupiſcis ire;
Face nulla bella præ te
Neq;blanda ſit puella.
Aut ſi qua ſit, ſuperbus
Face aliger ſagittis
Multum impotente ne me
Telo velit ferire.

Hoc vlla ſi impetraſſis,
Pendebo ab his labellis;
Spirabo ab his ocellis:
Meóſq; habebis omnes
Vna omnium furores.
Ego iam ſed vna meta
Cupidinis iocoſi
Quot ille tela promit,
Tot ego furo furores.
Vt tunc ego puellas
Amare deſinam, quum
Cunctis Amor ſagittis
Vacuauerit pharetram.

Animi vino læſus, cõqueritur.

Fuge qui ſapis Lyæũ.
Caper ille nanq;, cornu
Fænum ferens acuto.
Fuge qui ſapis Lyæum.
Ita fraude me, doliſq;,
Male perdidit madentem.
Ita nuper ebrium me,
Ad cantũ, et ad choreas,
Titubante gradu adegit.
Ego vix ſed ibam, vt vnum
Pedem adderem choreis;
Quũ me illico ſceleſtus
Proſtrauit: atq; riſũ
Spectantiũ excitauit.
Ego tum quidẽ Lyæo,
Ego tũ quidẽ choreis,
Mala multa comprecari.

Sed

Sed quid iuuat Lyæo,
Vel quid iuuat choreis
Mala multa comprecatũ:
Si fabula interim ſim,
Et riſus inuidorum?
Quin ergo mî valebis
Cum fraudibus Lyæe:
Quin ergo vos iocoſæ
Cum ſaltibus choreæ.
Ego deinde vos timebo: et
Vitabo. at, ô, nocẽtẽ,
Fuge qui ſapis Lyæũ.

De Bacchis, et Sileno.

Videbar in quiete
Semeles videre prolem.
Propter Deũ frequentes
Satyri rotare thyrſos.
Et Pan tumente buccâ
Ruris ſonare carmen.
Circũ vndiquaq; Mænas
Caua tympani ferire.
Quas inter otioſo
Priapus ire telo.
Poſtremus omniũq;,
Tardo ſenex aſello
Silenus inſidere:
Huic cantharus ab anſâ
Dependet: ipſe barbam,
Truncũq; purpurantis
Madidũ ſubinde naſi
Siccat: madens cachinno.

At

At ô Dii, Deæq;,
Ab hoc parente naſo,
Propago quæ rubroſũ
Nunc orta naſulorum.

Vulnus Amoris, ex baſio.

Quũ primũ ego hos petul-
Incautus hauſi ocellos; (cos
Genáſq; tẽperatas
Roſæq; purpurâ, albo
Et lilii colore;
Quũ primũ ego hæc labella
Incautus hauſi, amoris
Graui furens ſagittâ;
Gemui miſer: beatos
Quantum autumans futuros
Queis illa baſiare
Licitum rubella labra.
Globuloſq; ocellulorum,
Floreſq; eos genarum.
At hiſce me propinquum,
Vbi callidus Cupido
Haud lætâ aui locauit;
Deditq; baſiare
Tenera, et rubella labra;
Globulóſq; ocellulorum;
Floreſq; eos genarum;
Lethale ſpiculum (heu!)
Suxi impotente ſuctu:
Quod nũc per et medullas,
Abiit, iecurq; totum:
Fibraſq; ſauciando

Cordis,

Cordis, dolere cogit.
Sic et dolere, et (ah!) sic,
Gaudere cogor vnà.
Dolor at videtur iste
Mihi sempiternus ire:
At gaudium omne, passu
Subitò effugit citato.
Philomelæ vti dolorem
Dicas dolère semper:
Sed gaudium nociuũ
Gaudere me Pyraustæ.

Ad Neæram.

Vtinam Neæra limen,
Vtinam tuo cubili
Paries repente fiã:
Prope te esse vt vsq; possim!
Vtinã tenella mẽbra
Vestis tibi recondã!
Vel eburneas papillas
Sub fibulâ coarctem!
Vtinã ille turtur essẽ!
Vtinã illa ego colũba!
Vtinã ille ego catellus
Sinu tuo quiescens!
Vtinã pedẽ ansa vtrunq;
Tenerũ, breuẽ, atq; mollẽ
Digitũ annulusq; stringã;
Tereté, leué, rotundũ!
Vtinã tui Neæra
Thori ima sponda starem!
Vtinã Neæra vestro

Leochæus inde lecto !

De puellâ pulchrâ.

Orcus puella pulcra eſt
Ita Delius iuuet me.
Ita mî puer Cytheres,
Ita ſit fauens Lyæus.
Orcus puella pulchra eſt.
Sunt ſylua namq; Ditis
Dominæ dicata, crines.
Frons ripa. bini ocelli,
Genæq;, ſunt fluenta:
Quorũ mouentur illa:
Quorũ hæc manent quieta.
In his Charon Cupido.
Spes cymba. morſq; contus.
Orcus puella pulchra eſt.
Nunc labra nunc tuere
Labra illa mollicella:
Ea limina inferorũ
Iurabis eſſe prima.
Lingua eſt Canis, nigranti
Recubans triceps in antro;
Venientibus vel obſtans:
Vel blandiens, fauenſq;.
Collũ iter ad malorũ
Sedes, chaòſq; triſte eſt:
Vbi Tantalus fugacẽ
Captat propinquus vmbrã.
Vbi Æoli ſceleſta,
Beliq; longa proles.
Orcus puella pulchra eſt.

Aër ſupra hec apertus,
Violis,roſiſq; florens,
Blandiq; honore veris.
Aër ſerenus vſq;.
Campus beatus vſq; ,
Campus beatulorum.
Heic blandulæ papillæ,
Colles velut gemelli,
Surgunt pares in auras.
Dextro Venus decora,
Veneris puer ſiniſtro,
Perennè iura dicit. (linc
Planum infrà, at hinc et il-
Modice tumens,vt arcus
Sinuetur in figurã.
Qua deſinit tumere,
Veneris nemus beatum,
Lauro,viretq; myrto.
Ibi turba amantiũ omnis
Ludit,iocatur,atq;
Ponit ſuos amores:
Ibi tenditur,feroxq;
Veneris remittit ardor.
Ibi nec prius,nec illud
Quod vltimum eſt,ſed almi
Quod copula eſt amoris.
Sed quidnã ego hæc?Deorũ
Ita quiſque me ſecundet,
Orcus puella pulcra eſt.

De obitu amphoræ. ad Bacchũ.

Hæc cernis ô Lyee ?

Nec

Nec Tartari, miniſtrum
Tam perditum, ſeueris
Sub legibus coerces?
Ille ille verbero, ille
Tuam furente dextrâ
Diſiecit amphoram. aſt hæc
Riuum euomens eruoris
Cecidit ſupina; rupto
(Proh!) gutture: et ſuprema
Reum arguit querelâ.
At ille, ter ſceleſtus,
Factum negare pergit.
Et amphoram ebriam inquit
Nimio tuo liquore,
Dum mobiles choreas
Nobiſcum inire tentat,
Gradu tremente lapſam
Lethi in grauem ſoporem.
At dum licet iocoſæ
Pater amphoræ Lyæe,
Epidauro ab vrbe numen
Accerſe: namq; noſtris
Cor, et manus Melampis
Cadit, amphorâ cadente.

Verba inter bibendum.

Fortuna magna cæca eſt.
Cæcutiunt beati
Ea queis fauet Tyranni.
Cæcutit aula prorſus;
Loculoſq; ptæter vnos
Nil cernit: et monarcham

Qui cuncta vincit aurũ.
Loculi mihi iam inanes:
Aurumq; nullum adhæret.
Quid ergo? num dolebo?
Non prorsus. at sedendo
Prope hunc cadum falerni,
Bibam, bibam, libenter.
Gaudete vos at vnà,
Fortuna, Rex, et aula;
Si hic longius morabor,
Cæcutiemus omnes.

De Amicâ suâ.

Medii iubar diei,
Viridantis iliceti
Pulsabam anhelus vmbrâ.
Venit ecce corã, et heic me
Mea conspicata cura,
Tenero ore mollè risit.
At ego: iuuat dolentem
Videre me, et furentem:
Ita me nociua rides.
Ego Cynthii sed ignes
Fugiebam amicâ in vmbrâ;
Subito molesta tu, mî
Veniens super calenti,
Grauiore ab igne torres.
Procul hinc tuos calores:
Procul hinc Meliss. nãq;
Mora longior tui, omnes
In me vnico priores
Triplicauerit calores.

Ad animum ſuum.

Anime, exere è profundo
Pelago caput dolorum.
Quid triſtis es? meaſq;
Obnubilas Camænas?
Quorſum remiſit ardor
Se veſter: aut reſedit?
Accepta cuncta ſummo
Fer, ſi ſapis, Tonanti.
Namq; huius ad ſupremũ
Rota ſortis ire nutum
Conſueſcit; et redire.
Sperare te iubet lux;
Quæ noctis è nigranti
Prodit rubens cubili.
Cuncta ergo plus ſecunda
Speres licebit. et nil
Mireris. ipſe delphin
Non ſi maris relinquat
Semper ſtrepentis æquor:
Idemq; concupiſcat
Terreſtrium ferarum,
Obſcura inire luſtra.
Aut illa rurſus, antra
Sua deſerant; et vdis
Habitare ament in vndis.
Fortuna cæca ludat
Ludum impotentem: et iſti
Demat, vel addat illi
Cui vult, iniqua, honores.
Curare quid decet te?
Curent quibus neceſſe eſt,

Acherontici, ſenes; et
Caterua dura auari.
Te candidam puellam
Sinu decet fouere.
Et hauriendo mille
Lepidi ſcyphos Lyæi,
Veneriq;, Liberoq;,
Dare floridam iuuentâ.
Quid Apollinem ſeuerus
Refugis? nouemq; Diuas?
Quid Gratias? quid almam
Cum Libero Cytheren?
Caue ira ne tot vnum
Te differat deorum.
Et impotenter, (alto
Ceu Rupicapra montis
Faſtigio prehenſa,
Multâ canum vi odorâ.)
Pœnas fugæ luas. vt
Cogaris illam amare,
Quæ te tuoſq; queſtus
Faſtu ferat ſuperbo.
Indoctiorq; aſello
Sis fabula vna vulgi.
Fugiantq; te; vt moleſtum,
Chari prius Sodales.
Hæc cuncta ne potentes
Agant dii mala in te;
Depelle vino abnndè,
Cantuq;, baſiiſq;,
Et plurimis cachinnis,
Curas ſeuerioꝛes.

FINIS.

EROTICON

Liber Quartus, cui titulus,

ANACREONTICA.

Oportere se amoribus vacare.

QVid inutilé laborem
Més ſuſcipis? relinque
Cũ luſibus Cytherẽ.
Cum ſpiculis amorem.
Grauioribus locandũ
Tempus laboribus da.
Fugit hora, et inſtat ætas
Frigebit iſte quum æſtus.
Non vſque delicatis
Roſæ comis ſuperbæ.
Non vſque liliorũ
Grati vigent odores:
Non vſque veris aura
Variis odora campos
Coloribus coronat.
Nil permanet; vel vno
Perſtat tenore fixum.
Nil æuiterum, ab illo
Qui ſolus omnia, ipſum

Æternitatis audit.
Sed quid rogo valere,
Quem morbus auget acer?
Nec pharmacis dolorum
Mali leuare pergo?
Ah me! medela cordi
Quæ saucio inuenitur?
Quis pectori, quis imo
Telũ extrahet Machaon?
Quis, pætulis ocellis
Vt noſtra vita riſit,
Me ſubtrahet dolori:
Et amabili furori?
Hoc ſi quis audet, illũ
Vitæ deũ vocabo.
Et protenus relinquã
Cũ filio Cytheren.
At fata quum ſuprema
Mutare, nullius ſit;
Sequar auream Cytheren.
Sequar illius puellũ.
Oportet ergo amare:
Et amoribus vacare,
Nolim, velimné; cura
Me perdet otioſa.

Leges bibendi.

Auditè, quare iocoſi
Ego arbiter Lyæi
Leges fero, Sodales.
Hæc noſtra publica eſt res.
Draconi vti, et Soloni,

Prænobiles Athenæ.
Numæq; vti, et Lycurgo,
Roma alta: Spartaq; acris.
Primũ omniũ ergo, cæptis
Adsint dii benigni:
Liber pater. Cythere.
Cupido. Gratiæq;.
Cum Lusibus. Iociſq;.
Leporibusq; mille.
Atq; omnibus Cachinnis.
At sanguine ego Martẽ
Cristas rigentẽ, et arma,
Paulũ absit oro; Rixas
Secũ auferens: malasq;
Cum viperis Sorores.
Aut si quis heic seuerus,
Emigret, hæc taberna,
Solis dicata lætis:
Dein quisq; se scypho armet:
Scypho graui, et profundo:
Certabimus suaui
Bacchi simul palæstrâ;
Postquã scyphus cuiq;
Madidus stabit Lyæo;
Tũ Phæmius prope adstans,
Troiæ vetustã halosin,
Cursus canatue Vlyssis.
Qui lapsus aut loquendo,
Aut lapsus ambulando,
Nequaquã erit; sed omnis
Viduus vomitionis,
Fortis, valensq;, finem

Ad

Ad vſq; permanebit:
Qui continente plura
Haurire pocula hauſtu,
Bene ſuſtinebit: et nil
Relinquet, inque terram
Dabit optimi Falerni:
Hic omnibus, Sodales,
Qui vicerit: corollis
Comas reuinctus ibit:
Cum baſiiſq; centum,
Lepidam feret puellam.

Non Spernenda parua.

Ne me puella ſpernas,
Paruum videns, breuemq;
Paruus puer Cytheres,
Toti imperat ſed orbi.
Paruiq; Paſſeres, ſed
Curium aureæ Dione
Roſeas trahunt per auras.
Et paruus eſt Aëdon.
Et parua auis Gradiui. at
Voce hæc fugat leones:
Cantu ille vincit omnes.
Semeles Iouiſq; proles
Paruus pater Lyæus.
Vitiſq; parua, dulci
Prodeſt tamen liquore.
Pretioſa gemma parua eſt.
Serumq; paruus ille
Qui vermis ornat agros.
Paruæq; magna vis eſt

Echene-

Echenëidos morantis.
Quid plura? tu leones
Elephantibus minores,
Volucrem et Iouis trisulcæ
Quæ portat ardua arma,
Dubio vides camelo
Non esse celsiorem.
Hæc ipsa dulce blandæ
Donum est, breuis, Dione,
Nec permanet voluptas.
Quin basiem, atq; paruis
Sine te implicem lacertis.
Nã tũ Rhodantha, nam tum
Nam tum Rhodantha dices,
Vt corpore esse nanum,
In amore me Gigantem.

De Cupidine et se.

Puerum puellus olim,
Inter rosas Amorem,
Dum venor otiosus,
Conspexeram latentem.
Ratus alitem, pharetrâ
Subito leues sagittas
Depromo. at ille ludens,
Creber, mouere pennas:
Huc subsilire et illuc:
Creberq; pipilare.
Spe lapsus ergo, retro
Flexi repente gressus:
Et alitem iocosum
Tentare erat pudori.

At ille, vbi improbus me
Rectà redire vidit;
Subito exilit latebris:
Et remige aduolauit
Ad me siniſter alâ.
Tũ plurimo cachinno,
Sequutus eſt euntẽ.
Et méne ait puelle
Iaculis tuis petiſti?
Nunc tutus ire perge.
Fors hora, quum vicissim
Qui fugit inſequetur.

Ad Bacchum.

Huc ô Lyæe dulcis,
Huc ô veni Lyæe.
Te pocula, atq; nexæ
Philyrâ vocant corollæ.
Te nos tui miniſtri
Sicco rogamus ore.
Huc ô Lyæe dulcis,
Huc ô veni Lyæe.
Tecũ integella Cypris,
Tecũ benigni Amor es,
Tecũ leuis Iuuentas,
Tecũ Ioci, et Lepores,
Tecũq; terna zonis
Properet Charis ſolutis.
Huc ô Lyæe dulcis,
Huc ô veni Lyæe.
Verũ ô Lyæe, rixas,
Poſt improbaſq; curas,

Hæc

Hac Naidas ſeueras
Arce procul tabernâ:
Dein pone tauriformis
Verenda cornua oris.
Sicq; ô Lyæe dulcis,
Sic ô veni Lyæe.
Illarũ enim iocoſis
Vſus nocens poëtis:
Harum benigna tantum
Nunc copia, vt putres
Potum iſſe bucerum omne
Mecũ heic pecus Menalcæ.
Huc ô Leæe dulcis,
Huc ô veni Lyæe.

In vtrumq; paratus.

Mecum bibe vnà, et vnà
Mecum iocare amice.
Mecũ corolla laxes
Tibi vinciat capillos.
Mecũq; amator adſis:
Hanc baſiéſq; Lyden.
Mecũ vnà amice, mecũ
Inſanias. ſed inde
Quũ compos ibo mentis;
Vinũ, iocos, corollas,
Et deſeras amores.
Tibi at iſta ſi videntur
Fors dura; linque noſtrã
Poſthac Sodalitatẽ.
Ego nanq; Echinus, omnes
Paratus in procellas:

Inter

Inter bibentium Euan
Choros videbor ire:
At sobrios ego inter
Abstemius manebo.
Age verte temet omnes
Subito in nouas figuras;
Sub singulis me habebis
Similem tibi figuris.
Ita iam optimum videtur,
Dare tempori se habendum.
Si vitam amas, diuq;
Homines tot inter esse,
Ita sis tuus, vt omnium
Videare solus esse.
Ita omnium, tui ne
Te obliuio prehendat.
Ter enim periculosum
Iam simplicem esse. Protêi
Sibi qui pararit emptam,
Non stultus esto, pellem.

Ad Vulcanum.

Mihi poculum Cytheres
Face Mulciber marite;
Mihi poculum profundum:
Argenteum quod infta,
Supra quod aureum sit.
Heic sculpe Phæbũ, et horas
Illicq; Lunam, et astra.
Sed opus bibentibus quid,
Phæbo, aut sorore nobis?
Age, poculo, Cytheres,

Mihi,

Mihi, Mulciber marite,
Cupidinem iocosum
Depinge cum sagittis:
Phœbumq; dele; et horas.
Argenteo inq; fundo,
Glyceren mihi elabora:
Lunamq; dele; et astra.
Ita opus suo placebit
Domino magis bibenti.
Sed et hoc carere posset
Bene poculum puello.
Quin ergo solam amicam
Glyceren, mihi Cytheres
Face Mulciber marite.
Namq; illa Phœbus, illa
Soror benigna Phœbi est.
Illa est Puer Dionæs,
Rapidis grauis sagittis.
Tamẽ hãc, precor, Cythe-
Mihi, Mulciber marite, (res,
Dum totus elaboras;
Da pendulis capillis,
Da serta; da corollas.
Violasq; fac, rosasq;,
Per colla, perq; pectus,
Et lacteas papillas,
Sensim in pedes fluenteis.
Immunis at nec illi
Sit dextra: sed prehendat
Scyphũ grauẽ, et profundũ:
Madidum scyphum Lyæo.
Nempe vt iocemur vnà.

Nempe

Nempe vt bibamus vnà.
Nempe vt furemus vnà.
Vnáq; inebriemur.

Basium Vnum.

Hæc labra mollicella,
Sine basiem vsq;,et vsq; :
Vel vsq;, si quid esse
Vltra queat. Sed, (ah me!)
Quid vertis ora quorsum
Ocellulos modestos
Pudibunda disiicis: nec
Terrâ eleuare curas?
An te pudet meorum,
Mea vita,basiorũ?
Segetémq; dura tantã
Hymettii liquoris,
Dolebis a rubellis
His demeti labellis?
Si tot nocere possunt,
(Quot fors tamen Catullo
Sua Lesbia,er Neæra
Tenero tulit Secundo.)
Non tot petam;sed vno,
Contentus vno abibo:
Nec plura basiare
Ego basia expetessam.
Sed vnũ ego vsq;, et vnum,
Petam à tuis labellis.
Postq; vnum,et vnũ, et vnũ,
Vnum insuperq;, et vnum,
Vnum dari rogabo.

Lassa-

Lassata dum tot vnis
Tu basiis, per omnes
Iuraueris deorum;
Te nolle deinde ab vno
Sic basiari, et vno;
Sed pluribus: sed iisdem
Ter millibus bonorum
Sine fine basiorum.

Somnium. ad G. Drummõdum, ab Hathorneden:

Quid at hoc amice Sõni est?
Quid at hoc ocelle vatum
Drummonde; Gratiarum
Medulla: Cor Cytheres?
Iam nox tenebricosis
Terram super iacentem
Tardè mouebat alis;
Heliceq; prona circum
Ibat pigrum Boota;
Iam cuncta strata dulci
Iacuere sub quiete;
Me mollicella Cypris,
Me Cypridis puellus,
Curru aureo per auras
Raptim tulisse visi.
Duo pumicante rostro,
Duo dulcè pipidantes,
Matrem ante, et ante natũ,
Læti citas quadrigas
Passerculi trahebant.
Circa deam Voluptas,

Et mille Basiorum,
Risus, Ioci, Susurri,
Triasq Gratiarum;
Circa deum lepores,
Et mille mille amorum,
Spes, murmura, atq; formæ
Desiderii volabant,
Deuenimus beata
Subito ergo Tępe? vbi agros
Florum ordo dædalorum
Pulcherrimus coronat.
Illic perenne dulci
Zephyrus tepescit aurâ.
Illic dei marita
Cantu leuat laborem.
Campi virentis æquor,
Diis excipit sacratus,
Incæduusq; lucus.
Vbi limpidi, atq; puri
Prorumpit vnda fontis.
Medium tenere opaci
Mihi visus ille luci.
Heic, me Cupido mollis
Vultu tuens sereno,
Face nunc eho poëta;
Face nunc ait Cytheræ.
Heic lympha et ara propter.
Heic victima, heic odores.
Lætus, monente diuo,
Currum volens relinquo.
Genuq; rite flexo,
Quà ripa fontis, ipsum,

Geniũ loci, atq; cunctas
Ego Naidas saluto.
Alias sed ante, Nymphã
Fontis precor fauentẽ.
O diua fontis, audi,
Te supplices rogamus,
Latices tuos sacratos
Haurire des: et almæ
Volentibus Cytheræ
Litare, sis amica.
Audire visa, viuos
Dea mouerat liquores;
Simul annuit. sed inde
Vt impiger petitas
Haurire cæperam vndas;
Subito implicata strinxit
Me eburneis lacertis.
Tunc glutino Diones
Simul hæsimus calentes:
Animasq; et huc, et illuc,
Erratiles, vicissim
Transfudimus labellis.
At diî procul, iocosi,
Venusq; , Amorq; lætus,
Non inscii futuri
Ridere: et auolantes
Lucumq; , perq; Tempe,
Hyla, Hyla, sonare.
Simul ille dulcis, ille
Somnus repente fugit:
Et perditum beatas
Reliquit inter vndas.

Sed per tuos calores.
Per amabilem puellã,
Per quicquid est Deorũ,
Quid hoc, amice, Somni est?

De Cupidine piscante.

Forte aureus Cytheres
Dum littore errat ales,
Piscantibus ministris
Cymbam inuenit relictã.
Subito ergo conto in æquor
Se propulit, manuq;
In pectus vsque adactâ,
Remo emicat superbus.
Hunc pandus æquore alto
Vt vidit, arua ponti
Delphin volante pinnâ
Transmisit; atque magnæ
Iouis æquoris maritæ
Rem detulit pericli.
Et diua ait profundi,
Fer opem tuis, perimus.
Vremur vnà ab illo
Vremur igne, summũ
Qui perdidit Tonantem.
Cui blandiente risu,
Hæc, ora perserenans,
Dea rettulit profundi.
Securus esto, nostras,
Nanq; ille forte, vt olim,
Irã timens Gigantũ,
Puer petit latebras.

De se Ebrio.

Ioues fuisse plures,
Plures fuisse Phœbos,
Venereſq;, paruuloſq;
Cum ſpiculis Amores,
Pandit prior vetuſtas:
Nec vnicũ profundi
Dominũ maris, nec vnũ
Quem Tartarus tremiſcit
Regem fuisse Ditẽ.
Quæ cuncta vera ſi ſint,
Quis dixerit? ſed illud
Quis non videt, quod heic
Leochæus eſt Lyæus? (iã

Ad Veſperum.

Veſper beate Salue.
Salue beate Veſper.
Lux ô benigna cæli.
Dux ſyderũ micantiũm.
Quorũ agmina vſque cogis,
Fugaſq;, primus idem,
Poſtremus omniumq;:
Dum noctis et tenebras,
Nitidi et iubar diei,
Sub nomine haud eodẽ,
Curru vehis citato.
Quis te benignior quis
Iucundiorue cœlo?
Tu cuncta Veſper affers.
Tu dona fers quietis.

Tu ſomnia, atq; luſus,
Conuiuia, et corollas,
Sponſoq; nuptam, At illam
Quam mens anhelat vnam,
Ter melleam, ter aureâm,
Ter amabilem, atq; blandâ,
Si Veſper hoc locabis
Noſtro thoro puellam;
Tum lux mihi vel atris
Pandet dien in tenebris.
Tunc ipſe, noctis inter
Licet aſtra conſtitutus
Non dêinde Veſperugo,
Sed Lucifer niteſces.

Quid ſit Amor.

Quid Amor, quid eſt Cupido?
Quid amare quod vocamus?
Amor eſt ſuaue dãnũ.
Amor eſt ruina dulcis.
Eſt gaudium, eſt voluptas.
Eſt mæror, eſt querela.
Eſt ſpes, vbi iuuentus
Deſperat omnis, eſt deſ-
peratio illa, vbi aurei
Sperant benigna amantes.
Eſt pectoris ſine alto
Vulnus dolore fixum.
Dolor eſt ſupremus, altæ
Expers tamen querelæ.
Eſt ianitor, malignis
Fruſtra hoſtibus benignus:

Est ianitor, benignis
Malignus vsque amicis.
Est mille mille damna,
Pro commodo nec vno.
Est millies sub vnâ
Nasci, interireq; horâ.
Est vita mortis expers:
Vitæq; mors inanis.
Sine luce lux. suiq;
Pæna est perennè durans,
Amor ignis igne gaudens,
Amor odium est amati.
Amor ira, paxq; rursus.
Bellũ est amor cruentũ,
Bellũ est amor suaue,
In quo perire dulce:
Quo vincier triũphus.
Est flãma, vincta duris
Ter frigoris cathenis.
Est grata vis. doliq;
Iactus. nimisq; dulcis
Malorũ ab arte lusus.
Est esse velle seruũ.
Est nolle liberũ ire.
Est cogitare longũ,
In re vnicâ quiescens.
Est cogitare longũ.
Nũquã tamen quiescens:
Est circulus, sine vllo
Se terminante fine:
Medium cui potiri.
Amor est Chimæra, sæui

Cui prima ſunt Leonis;
Media ipſa ſunt capræ; inde
Poſtrema ſunt draconis.
Ocellus eſt vterq;
Amor meæ puellæ.
Amor labella rubra,
Saturata plurimorum
Bene melle baſiorũ.
Eſt lacteæ papillæ.
Variuſq; flos genarũ.
Amor eſt ſinus pudicus.
Teretes amor lacerti.
Eſt baſiũ: et quod vltra
Scit Cypris. at quid omnia?
Amor eſt puella pulchra.

Sua vota.

Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Hominũ videtur eſſe,
Amare quod vocamus:
In amore ſed potiri,
Cœleſtiũ eſt deorũ.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Vndena bruma me bis
Iam prendit, in iocoſis
Cytherëiæ viretis,
Amoribus vacantẽ.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Nunc turbidus procellas

Boreas

Boreas, niuemq; portat.
Rigidũ et fluenta firmis
Vinxit gelu cathenis.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Citus huc miniſter adſis.
Et prome de vetuſti
Nobis cado Lyæi
Merum Falernianũ.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Deîn ligna crede flãmis
Vulcaniis abundè.
Pereat futura quiſquis
Pili eſtimat vel vni.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Diſſolue triſte frigus,
Nunc heic ſedens Sodalis.
Quũ marmor hinc teget nos
Frigebimus ſat omnes.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Beata Parca cunctos
Nobis ſecat labores.
Nec criminis, nec expers
Parcæ, reſiſtit vllus.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Bonũ eſt valere bellè.
Bonũ indole eſſe pulchrã.
Dicté bonũ eſſe iuſtè.

At cum tuis iuuentâ
Frui optimũ eſt amicis.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Paucis dedit ſupremi.
Benigna cura regis,
Vt rem male haud gerentes
Cana opprimat ſenecta.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Ignauus aurũ, opeſq;
Habet; at bonis malignè
Sæpe eſt: et indigere
Eſt peſſimis negatũ.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Eſt arduũ, deorũ
Decerta mente adire.
Humana quũ tu homo ſis
Comprende. noſce teipſũ.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Quem cura permoleſtat
Noctu, diuq; multa,
Inutilẽ laborẽ,
Et ſuſcipit dolorẽ.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Lætas amat choreas
Apollo: Diſq; luctus.
Vbi quis perit, recedit
Hominũ fauorq;, amorq;.

Contin-

Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.
Dũ viuimus, ſodales,
Viuamus ergo læti:
Nec luſibus virenté
Viduemus hanc iuuentã.
Contingat opto amare:
Et amoribus potiri.

Ad Cupidinem.

Age pendulã plaretrã
Puer ô ſuperbe ſume.
Age prome tela, magnũ
Domuere que Tonantẽ.
Mihi nec grauis pharetra
Potis amplius nocere:
Neq; tela acuta, magnũ
Domuere quæ Tonantẽ.
Moderantius pharetrâ,
Moderantiuſq; telis,
Tua ſi vſa dextra forte
Puer ô prius fuiſſet;
Ego pendulã pharetrã,
Ego tela adhuc timerẽ.
Sed vbi omne cor, volãtes
Petiere tot furores;
Vbi mille tela, deinde
Mille vſq; tela ſenſi;
Securus erro. namq;
Tot millibus tuorũ
Cor vulnerũ pateſcit;
Vt vulnus eſſe dicas,

Quod

Cor vulnerũ pateſcit;
Vt cor id eſſe dicas,
Quod vulnus arbitraris.

Se amori deditum, grauioribus ſtudiis vacare non poſſe.

Cur ô Dii tot oro
Oculis creaſtis vnquã
Noua vulnera hæcce noſtris
Quas dicimus puellas?
Hæç me decora turba,
Sibi imputat furentẽ.
Hæc me decora turba,
Sibi vendicat volentẽ.
Hæc prima dũ adſtat ætas.
Dũ cærulaſq; venas
Sanguis calens pererrat,
Curare nunc vetat me:
Sapientiæue canæ
Non mente rite lotâ
Secreta perquirentẽ,
Adyta ingredi profunda.
Non obuiũ eſt, verendi
Decreta ſumma patris
Reſcire cuilibet: ſed
Queis æquior ſupremi
Adſpirat aura regis.
Hinc tot ſubinde peſtes,
In veritatis aulâ
Fulſere. diſſipanda hinc
Iterũ Babel reſurgit.
Mî vim ingenî haud inãnẽ

Sũmi

Sũmi fauor Tonantis
Quanuis dedit volare
Quæ posset altùm, et infra
Pauciſſimos bonorũ;
Tamen in minore quiſquis
Sudauerit paleſtrâ,
Laudẽ haud leuẽ meretur:
Decuſq; non pudendũ.
A page ergo, cũ periclis
Quę celſiora vulgus
Miratur otioſum.
Ego pollicẽ nec iſti,
Premenſue huic, ſed omni
De parte liber, et quid
De me inuidus loquatur
Securus vſque, blandã
Amo temperare nuper
Cũ Libero Cytheren.

FINIS.

EROTICON

Liber Quintus, et Sextus,

Siue,

ELEGIÆ.

EROTICON

Liber Quintus, cui titulus,

ELEGIA.

Elegia. 1:

Ad Eratò.

HVc Eratò, errãtes ſtrophio collecta capillos
Quæ reſonũ tereti pectine tangis ebur,
Huc ades: et ſacri deſcendens vertice Pindi,
Deplue Caſtalias in mea colla roſas.
Non, ego, nunc lauri ſemper-vernantis honores,
Aut hederas doctæ præmia frontis amo.
Sat mihi ſi Paphiæ velent mea tempora myrti:
Sat mihi ſi manibus plexa corolla tuis.
Tincta vel arcanis vitrei Permeſſidis vndis,
Impediat laxas candida vitta comas.
Candida turba leues curru vectantur Amores.
Candida ſpũmigenæ pectora nuda Deæ.
„ Candidus Aonidũ chorus eſt, et candidus ales
Qui dat Acidalio colla premenda iugo.
Candida corda piis finxit natura poëtis:
Ora tamen dominæ candidiora meæ.
Quam iuuat Idaliâ dudum recubare ſub vmbrâ:
Quà viridis liquidas myrtus opacat aquas?

Strin-

Stringere quam tereti lactentia colla lacertò!
Et teſtudineâ carnem hiare lyrâ!
Quam iuuat è roſeis flãmas haurire labellis!
Et totũ multo fallere amore diem!
Eſte procul duri. procul hinc diſcedite triſtes.
Odit enim rigidos noſtra Thalia viros.
Vobis, ſpinoſæ mæſto ſub pectore curæ,
Raraq; ſit noctis ſub face tota quies.
Vos pallor, vos ſollicitet metus acer habendi.
Vos teneant rauci iurgia lenta fori.
Scilicet vt tandẽ nũmi flauentis aceruus
Creſcat; et inmumerâ falce ſecanda ſeges.
Pinguiaq; optato deſpument præla Falerno.
Atq; herboſa ſuas villula paſcat oues.
Me cytharæ, choreæq; habeant. me cãtor Apollo.
Fluminaq;, et murmur lenè fluentis aquæ.
Et Nymphæ. et Charites et. Suada, et blãda Dione
Quiq; puer lætis triſtia miſcet Amor.
His ego vel cœlum ſublimi vertice tangam:
Et præ me Attalicæ deſpicientur opes.
His ego dux. rex. penè deus. Sat Delia dulcis,
Si portet cupido baſia vera mihi.
Et blandùm atgutis incendens improba ocellis;
Currat in amplexus tota ſoluta meos.
Delia nam faueat; placidus dictabit Apollo
Camina Hyantæâ carmina digna lyrâ.
Delia ſin tenebras obſcurâ fronte minetur;
Stringentur Scythico pectora noſtra gelu.
Vna etenim ingeniũ, iuſtaſq; in carmina vires,
Bellerophontæas vna miniſtrat aquas.
Seu vidi flauos ad frontem errare capillos;
Seu vidi niueos vt mouet illa pedes;

Seu

Seu vidi digitis cytharã dũ tentat eburnis;
Et ferit argutæ fila ſonora lyræ:
Quicquid agat, ſeu me tremulis adſpexit ocellis,
Seu placidâ noſtros accipit aure iocos;
Inuenio mihi mille nouas miſer vndiq; cauſas:
Et patet in numeros area lata meos.
„ Scilicet eſt aliquid pulchræ ſeruire puellæ:
„ Eſt aliquid Cyprio thura dediſſe deo.
Hoc ego Pactoli nolim mutare fluentis.
Hoc ego nolim vndis Herme beate tuis.
Ecquid enim horruerim, timeamue Cupidinis arma?
Non eſt in famulos durior ille ſuos.
Ecce libens dominis mea ſubdo colla catenis:
Quæ modo nullius ſigna tulere iugi.
Hiſq; oculis, quæ ſic mihi me rapuere, geniſq;
Hiſq; labris fido manicipo me imperio.
Iamq; nouus propero Scotâ de gente ſacerdos,
Orgia per Grampii Cypria ferre iuga.
Nã mihi cor Paphiis vſque eſt penetrabile telis:
Semper et in molli pectore regnat amor.
Nec iuga detrectare lubet. ſatis hactenus iſthæc
Exemplo didici poſſe cauere meo.
Exùl erã, memini, totoq; Helicone relicto,
Damnabam vacuæ carmina mentis opus.
Dãnabã Puerũ, pueriq; Cupidinis arcum.
Iamq; nimis flãmis conſcia tela meis.
Riſere Aonides. riſit Deus aliger. et quæ
Accolit Orchomenum Gratia trina ſuũ.
Nec mora, et è myrti nexâ mihi fronde corollâ,
Duxerunt clauſas me dominæ ante fores.
Ex illo, nimiæ correptus imagine formæ,
Sponte mihi facio vulnera: ſponte fero.

Elegia. 2.

Curas grauiores difficulter vino pelli.

I puer, i, veteris fumos deprome Falerni:
Aut Mythumnæo vincula solue cado.
Me iuuat haud vnâ noctem vigilare lucernâ;
Lucifer è toto dum fuget astra polo.
Me iuuat annexis phylirâ de more corollis,
Ante Deũ laxas impediisse comas.
„ Ille Deus tristes animi compescere curas,
Et solet indomitis mollia corda dare.
Illo Deus iuueni facilem promittere amicã,
Et fastus duræ vincere nouit heræ.
„ Bacchus amat vates. Bacchũ veneramur amãtes.
Adde puer liquidũ largius, adde merũ.
Vt sopor in fessos tandem delapsus ocellos,
Sollicitum sternat lenè quiete caput.
Interea vos ite procul curæq;, metusq;,
Quiq; dolor tristi perpluis imbre genas.
Ite procul gemitusq; graues. et seria verba.
Et quodcunq; iubes me meminisse mei.
Vos autem, remanete hilari super omnia vultu,
Cantus, et Idæis tibia grata choris.
Et iocus. et lepor. et risus. quæq; apta chorea
Ad bene compositos membra mouere modos.
Nam quid ego, viridis primæuo in flore iuuentæ,
Fila petam ternas dissecuisse Deas:
Corpus inane animæ gelido vt succederet antro:
Et præmaturo funere raptus eam?
Non ita. me superi. si quisquam hic sobrius audis,
Pergat ad Socraticas dogmata ferre scholas.

Me

Me sine, iucundi madefactũ flore Lyæi
Tempora, sec̃piros viuere velle dies.
„ Hei mihi sed, totas quam durum est fallere curas!
„ Quam durum dalii soluere vincla dei!
„ Quam tanto medicina malo nulla apta; furorem
„ Quæ penitus tristi diluat ex animo!
O me felicem, si queis discederet herbis,
Aut medicæ hæc mala fax posceret artis opem!
Vel, mea si rapidis ardentia pectora flãmis,
Lenirent dulcis pocula blanda Dei.
Tunc ego, tunc aliquam possem sperare salutem.
Et votis faciles credere adesse Deos.
„ Scilicet, in dubiis, vbi magna pericula, rebus,
„ Tarda licet veniat spes, tamen apta venit.
Nunc miserũ inconstans fortuna tenaciter vrget:
Gaudet et instabilem sæua mouere rotam.
Nam dominam cupido rapit: et disiungit ab illâ
Vnde manent vitæ stamina ducta meæ.
Quo fugis ô nimium nostri secura doloris?
Quo fugis ô animis sæuior Æoliis?
An sine me tibi rura placent: soliq; recessus?
Et iuga, et innumeris sylua beata feris?
Fluminaq;, et Zephyri molles: quũ murmure dulci
Sibilat in leuibus mobilis aura comis?
Silicet, vt possis teneris per rura Napæis,
Aut comes Ortygiæ nobilis ire Deæ.
Atq; vbi te syluas Dryas, aut iuga montis Oreas,
Viderit aut liquidas te prope Nais aquas;
Digna magis syluis videare: et montibus altis:
Digna magis liquidis viuere fontis aquis.
Sed quid iners timidis onero hæc loca sola queri-
Nec peto formosæ candida colla meæ? (lis:

„ Magnanimis facilis semper Deus annuit aufis,
„ Præterit ignauas surdus vbiq; preces.
Frustra igitur nostros fugisti Delia ocellos:
Non sum de nihilo factus amator ego.
Tu licet Arctoas pedibus calcare pruinas,
Quà non vlla hominum semita monstrat iter,
Tu licet arua pares rapidi contemnere Solis,
Quæ secat Eois discolor Indus equis,
Non tamen vlla meas fugies post omnia flãmas:
Nanq; viæ nostrer tædia nescit amor.
Ah! sensit pueri non ille Cupidinis arcus,
Nec dominæ dulci vixit ab arbitrio,
Qui Borcam, pluuiumq; Iouem, qui frigora cœli,
Igneaq; æstiui qui timet ora Canis.
„ Solus amor docuit contemnere dura pericla:
„ Cunctaq; constanti pectore ferre mala.
„ Solus amor, perq; et tenebras inbet ire; viamq;
„ Monstrat; et insidias non timuisse sinit.
At tu, quæ solita dominã deducis ab vrbe,
Hospitio tantæ villa beata Deæ,
Non habeas fontes, non pascua grata, nec vmbra,
Nec possis læto pascere colle pecus.
Inq; tuis quũ condiderit sua semina sulcis
Rusticus, elusã spemq;, fidemq; fleat.
Pallida perpetuo flauescant gramina Sole.
Areat accensis sylua procera comis.
Immineat pecori, sæuósq; in sanguine dentes
Tingat ouis, rapidus ventre ferente lupus.
Illinc ite auræ suaues Zephyriq; tepentes,
Pictaq; purpureos florea Chlori sinus.
Nil illic oculis, gratumué quod auribus adsit.
Omnia sint miserâ condita tristitiâ.

Si

Sic precor. at noſtros ſi lux mea cogitat ignes,
Si memor aut noſtri Delia forte volet,
Hæc ſubito eueniant hoſtilibus omnia villis:
Nec dicar faciles ſolicitaſſe Deos.
Aſt illi quocunq; ibit, quocunq; recedet,
Plurima fœcundus gaudia portet ager,

Elegia. 3.

Deliæ deſiderium. ad Syluas.

Hæc certè deſerta meis loca grata grata quere
Quà Zephyrus tremulis leniter arboribus
Coniugis è gremio violas et lilia portat:
Et vacuum ſuaui replet odore nemus.
Quis tam mutauit miſero Deus omen amorū;
Confuditq; breuē tā cito lætitiam;
Vt modo qui felix inter numerabar amantes,
Tam procul a dominâ cogar abeſſe meâ?
Damnabā (memini) te ianua dura, tuūq;
Robur, et ah ſurdas in mea vota fores;
Nunc ego quæ ſubitâ fudi conuicia linguâ.
Quam vellem rapidos irrita ferre Notos!
Nunc ego felices quam dicā in Amore ſecundo,
Queis licet ad clauſas peruigilare fores!
Ne freta diſiungunt validis agitata procellis.
Me nimiū longæ millia multa viæ.
Cogor ego vanas ad vos iterare querelas,
Fagus, et Ideæ pinus amata Deæ.
Accipite has lachrymas, nāq; ad vos Thracius Or-
Dicitur è querulâ carmē hiaſſe lyrâ. (pheus
Vobis ipſe etiam primos narrauit amores,
Olim Theſſalici paſtor Apollo gregis.

Et vobis ſumptis cecinit Syrinx cicutis,
Flebilis Arcadias Pan deus inter oues.
Vobis, quam niuei, vectant ſuper aëra olores,
Queſta eſt fulminei vulnera dentis apri.
Ante tamen teneris ſtingens Dea blanda lacertis,
Admonuit fati vimq; modumq; ſui.
Blande puer, formoſe puer, placidiſſime Adoni,
Hanc animam in noſtris ergo relinque labris.
Ante ego te potiar ſine lux, ſine dulcis ocelle,
Quam quæ agit inuentas, diua premitq; fera.
Illam armata cui fera ſemper dextera amabis?
Illam ſanguineæ cui placet imber aquæ?
Illam cui gratæ cædes, rabieſq; fouebis?
Illam quæ nullos diligit vna viros?
Me fugies, cui natus Amor; quæ mater Amorũ?
Me formâ reliquas quæ ſuper exſto deas?
Me quæ delitiæ diuumq;, hominũq; perennes?
Me cui tu vitâ charior vne meâ?
Reſpice me. nam quâ merui non parte placere?
Aut quis in hoc toto corpore næuus adeſt?
Quam multos credis iuuenum hoc optaſſe decori?
Cuius poſſeſſor tu modo ſolus eas?
Tela precor manibus, humeris depone pharetrã.
Conuenit hæc annis non bene cura tuis.
Hos dulces oculos decet inſeruire Cytheræ.
Pendere hæc noſtris blanda labella labris.
In mea tam niueis te ſerpere colla lacertis.
Haſq; genas noſtro ſæpe tepere ſinu.
Tutius hoc, tenerâ quã fortia ſpicula dextrâ
Spargere. quã luſtris exagitare feras.
Multa pati. longe duros perferre labores.
Et madido imbelles proluere imbre toros.

Quid facis (ah!) pudibunde puer? me spernis amā-
Quo fugis? è gremio non potes ire meo. (tē?
Te sequar in medias, per saxa, per inuia, syluas.
Et comes in rigidas cōminus ibo feras.
Nescio enim quid mens læui secū augurat in te,
Quod precor æquoreis obruat Eurus aquis.
Pars animæ quota magna meæ, per quicquid amo-
Lumina et hæc quæ me surripuere mihi, (rū est,
Hanc solā innuptæ furare Dianæ.
Et veniam precibus fors dabit ipsa meis.
Dixit. et è roseis pendens resupina labellis,
Mille dedit puero basia: mille tulit.
Mille etiam gemitus, sed nec suspiria Adonin,
Nec possunt vllæ flectere blanditiæ.
Quà licet ergo oculis abeuntē diua sequuta,
Hæc sæpe. ò mea lux lux mea, Adoni, vale.
Hæc vobis syluæ si quicquā audisse doloris,
Mortalem potuit quū Dea flere virum;
Nunc quoq; ne pigeat nostras haurire querelas:
Quas vir ad absentem dat sine fine Deam.
Hancne ego sustinui conscensā linquere puppe?
Et potui siccas durus habere genas?
Si potui, infidæ genuit tū me vnda Maleæ:
Aut inter Siculas dira Charybdis aquas.
Sed potui. ah! quæ me nocturnæ operata Dianæ,
Deuouit versi conscia amoris anus?
Credibile hanc Scythicis legisse in finibus herbas.
Aut in Thessalicis tetra venena iugis:
Hanc quodcunq; mali fert Phasis, Iberia, Iolcos,
Credibile est calathis imposuisse suis,
Illa exesi anguis cōmiscuit ossa rubetæ.
Infaustæ plumas addidit illa strigis.

Et profecta lupi ambigui. lunæq; pruinas.
Et quæ funesto vitta reuincta viro.
Nanq; aliter dominam potui non ferre dolentē:
Dura prius quanuis, asperaq; illa fuit.
Visaq; me multâ fractū risisse querelâ.
Vixq; semel nostris ingemuisse malis.
Nunc male dissimulata patet sub pectore flāma.
Delia nunc æquo nostra furore calet.
„ Nimirū magni verissima signa caloris;
„ Sustinet absenti si qua dolere viro.
„ Ter felix de quo queritur sua blanda puella.
„ Et cadit in teneros lucida gutta sinus.
„ Pro quo solicitata venit multâ prece Cypris:
„ Quiq; puer varias felle linit faculas.
„ Ter felix, cuius fieta est iniuria. cuius
„ Damnatus nullo tempore certus amor.
„ Pro quo tristitiam pariunt insomnia noctis:
„ Aut gemma in læuâ lucida visa manu.
O ego si iam te videam, mea maxima cura,
Hærebunt labris quā mea labra tuis.
Quā tibi ego cupidis vincirem, vita, lacertis
Collula; Hyperboreâ quæ maga pura niue!
Quam me non vlli poterunt retinere Catones,
Quin fierē gremio sarcina grata tuo!
Et mecū nudis fueris luctata papillis:
Exsaturans longâ gaudia nostra morâ!
Hanc precor, ô, niueo signandâ sæpe lapillo,
Thaumantis roseis præuia portet equis;
Hanc Genius mihi lucē: atq; hanc mihi pronubo (Iunc
Et tandē votis non alienus Hymen!
Interea, mæstis coniuncta hæc vota querelis
Seruate, in duris robora cortieibus.

Crel

Creſcitq; in titulos, et nomina candida amantũ.
Et ſic æternis vſque virete comis.

Elegia. 4.

Roberto Aitonio, equiti. Poetæ eximio.

Læſa, fugâ ſyluas, et Gnoſſia rura peragrat,
Nec leuat arentem flumine, cerua, ſitim:
Donec in vmbroſâ Dictamnũ vbi carpſerit Idâ,
Vulnera diſtractis curet arundinibus.
Hei mihi! Gnoſſiacis certa eſt medicina ſagittis:
Quæq; iuuet læſas prouenit herba feras.
At mihi perpetuũ viuit ſub arundine vulnus.
At mihi continuus percoquit oſſa dolor,
„ Tũ comes aſſiduus triſti mala cura dolori,
„ Et requiem, et ſomni munera grata negat.
„ Illa nouos reuocat, veteresq; reſuſcitat ignes.
„ Illa omnẽ ex animo ſpem rãpit vna meo.
„ Illa facit triſtẽ, deſolatumque vagare.
„ Luminaq; in durâ figere cogit humo.
„ Quietiã inuitis lachrymas extorquet ocellis.
„ Pallorem in nitidas et iubet ire genas.
„ Et ſubitâ obducit macie miſerabile corpus.
„ Sugit et è venis ſanguinis omne meis.
„ Hæc eſt, hæc, memorẽ quæ me uetat ire meorũ.
„ Hæc eſt, hæc, memorẽ quæ vetat eſſe mei.
Tu mihi, Aitonide, ſi quâ potes arte iuuare,
Affer opem: et curis tela retunde meis.
Nec quod amem, ſæui venias irriſor amoris.
Nam deus in magnos ius habet ille deos.
Cui non Leucothoë, cui non cantata Calyſto:
Quæq; ſua in patriis cornua vidit aquis?

Quid

Quid tibi vel Cereris, vel blandæ Cypridis igne,
Aut referã Stygii vulnera cæca dei?
Quid Iouis æquorei flãmas? quid basia Lunæ?
Quid Maiâ geniti furta, iocosq; Dei?
Quid tibi quos sensit Tithonia nupta furores,
Dũ Cephali optatis pendet anhela labris?
Te quoq;, diuinis Nymphe tua dicta libellis,
Aiguit Idalio colla dedisse iugo.
Si non vlla meũ potis est medicina furorem
Tollere; et æterno vulnere totus agor,
„ Attamen, inuisas diuellere pectore curas,
„ Est modus. hæc humeris pondera tolle meis.
Per te, per faciles in carmina blanda puellas
Altera pars animæ, magne poëta, meæ,
Rumpe moras omnes: et dum licet, obuius ire,
„ Sis memor. est veteri sera medela malo.
Vel tu carminibus, Clarius quæ dictet Apollo,
„ Erige. inest numeris vis quoq; cæca sacris,
Vel dulci aloquio. veniam quocunq; vocabis,
Aut aliquid curis gramine deme meis.
Gramine cæruleus regnat sub marmore Glaucus
Piscator meruit sic deus esse maris.
Gramine Laertâ satus, exitialia Circes
Vitauit magicâ pharmaca mixta manu.
Graminibus, primæ iuuenem sub flore iuuentæ,
Æsonides patrem vidit adesse suum.
Gramina cæruleæ quis nescit læta Nepenthes?
Miscuit hanc Ithacis Oebalis hospitibus.
Sed mihi carminibus quid opus, vel fortibus herbis,
Aut opus alloquio die Roberte tuo: (bis:
Si neq; carminibus curæ, neq; fortibus herbis,
Alloquioue abeant, depereantq; tuo?

Sæuus

Sæuus Amor curarum agitat sub pectore fluctus.
Ille venit curis vnica causa meis.
Tolle mihi Paphiæ crudelia vulnera flãmæ:
Absfuleris curas hac ratione meas.
Sed quum nulla leuet Paphios medicina furores;
Nulla potest curas cura leuare meas.
„ Ah natum in curas hominũ genus! ilicet vna,
Vna habet authores fabula vera Deos.
Forte per herbosas Penei fluminis oras,
(Nondũ illic viridis cognita laurus erat.)
Venerat, haud vllis Phrontis comitata Napæis.
Ruris enim lætas oderat illa deas.
Dumq; suos placido spectat sub flumine vultus;
Sustulerat teneris molle lutum digitis.
Visa diu dubitare dea est, quos tollat in vsus:
Quod vellet doctâ fingere plasma manu.
Nec mora, et in gyrũ caput omni parte rotundat.
Quod tegit innumeris prouida Diua pilis.
Inde cauat proprios septena foramina in vsus,
Iussit et erectâ cernere fronte polum.
Extendit scapulis subnexis brachia palmis.
At palmis digitos donat vtriusq; decem.
Tum costis, laterumq; addit compagibus, aluum.
Intus cor; pulmo est, splen, iecur, atq; lien.
Hinc stomachũ, hinc fluidã vesicã, hinc ilia ventris
Format: et eiectis quà foret ire cibis.
Deîn femur; et Paphiæ, lumbos, et vasa, Dionæs.
Hæc medio, illa à se parte ab vtraq; locat.
Genua sub hæc. duplex quæ tibia, cruscq; sequntur:
Et gemina in denos planta abiens digitos.
At prius, et neruos, et venas corpore spargit.
Et cerebrum in varias separat arte domos.

Iamq;

Iamq; opus exactũ eſt. neſcit tamẽ ipſa quid eſſet,
Quod fictum manibus nunc videt eſſe ſuis.
Dum dubitat ſuperâ diuũm rex affuit aula,
Ponit opus viſo Nympha pudica deo.
Mox ita.ſi precibus locus eſt,da maxime diuũ,
Corpus vt hoc vegetum ſpiritus intus agat.
Annuit oranti,facili Saturnius aure.
Et tua,ait Nymphe,ſint rata vota tibi.
Nec mora,quũ lutea hæc, (dictu mirabile) moles,
Cæpit ſuſpenſos arte mouere pedes.
Verbaq;commotis tenui cum murmure labris,
Edere.mirantem res habet ipſa Iouem.
Nomen abeſt operi;quod dum dare certat vterq;
Hæcq; opus,aſt animã vendicat ille ſuã;
Adſtitit,et motis Tellus incana capillis,
Hoc noſtrũ potius nomen habebit,ait.
Namq; lutũ noſtrũ eſt. corpus mihi reddite diui;
Tũ date,quo libitũ,nomina veſtra,modo.
Lis agitur. pluresq; habuit diſcordia partes:
Donec commota Gorgone Pallas ait.
„ Deſinite irarũ. furiæ mortalia corda,
„ Aſt Amor,et magnos pax agat vna deos.
Iudice Saturno ſtet cauſa. ita diua loquuta.
Dicta probat caſtæ tota corona deæ.
Poſtera lux oritur.ſolio Saturnus ab alto,
Conuocat,attentos et iubet eſſe deos.
Mox ait.hæc animis mea dicta recondite veſtris;
Nemo me,ſuperi, iudice læſus erit.
Tu corpus capias,animã qui nate dediſti:
Hoc totũ arbitrio viuat vt vſq; tuo.
Tu vero Nymphe,manuũ hoc opus omne tuarũ
Poſſideas;vitæ tẽpus in omne ſuæ.

Ar

At quoniã lis eſt de nomine. nomina Tellus
Vendicet: atq; ab humo deînde vocetur homo.
Finierat ſenior. placuit ſententia cunctis.
Dicta notant tabulis maxima Fata ſuis.

Elegia. 5.

Diſceſſus a dominâ.

Eheu, quam vigiles viuũt ſub pectore flãmæ!
Quam dolor hic longâ neſcit abire morã!
Quã ſubit illa oculis, qualis mihi viſa fuiſſe,
Quũ peteret curſus puppis itura meos!
Auſa meũ teneris collũ vincire lacertis;
Mæſta per irriguas imbre fluente genas.
Auſa, verecundo vultũ fuffuſa rubore,
Prodere quæ taciti ſigna doloris erant.
Quo propreas demens, nec tali digne puellâ,
Quæ fleat ingrati pectora dura viri?
Ergo nec vt maneas, noſtri facit improbe cura?
Nec tibi iurabas quas prius eſſe faces?
Quũ tu, ſyderibus ſolitus componere puris
Lumina; quũ blandis noſtra labella roſis.
Quũ modo tot gemitus, modo me titubãtia verba,
Nunc puduit lachrymas ſæpe notare tuas.
Sed quid ego lachrymas, quid ego ſuſpiria dicã?
Quid quas blanditias callida lingua dabat?
Ora etiã adſpexi, veluti certantia buxo:
Et maciẽ vultus extenuaſſe tuos.
Has ego te noſtro fraudes ſtruxiſſe pudori
Crediderim? non ſi Delius ipſe canat.
Aut deus in ſiccis Lybiæ torrentis arenis.
Aut Prænestinæ nobilis ara deæ.

Et

Et tamen accedo de te mala credere tanta:
Nempe vnum hoc istas expetiisse preces.
„ Longa dies, modo quæ nulli reserata fuerunt,
„ Prodit: et occultis euocat è latebris.
„ Longa dies, quid amor per dura pericula nouit,
„ Nec patitur fictã pondus habere fidem.
At tibi si rigidi fuerat maris æquor arandũ;
Dexteraq; in vacuos aura vocanda sinus;
Visere si nostro terras procul orbe remotas,
Et tanta externas ire cupido vias;
Cur tibi non isto resolutus tempore funis:
Quo facies oculis non tua visa meis?
Tunc ego nõ madidis sequerer tua lintea ocellis,
Ferrẽ pro reditu vota nec vlla tuo.
Libera tum Paphias possem contemnere flãmas.
Et spumâ genitæ iura superba deæ.
Nunc mihi per molles sensim noua flãma medullas
Serpit: et ignoto vulnere pectus agit.
Nec scio quâ furiale malum dulcedine creuit,
Sed venit iaculis certus ad ossa deus.
Vos eritis testes, quæ conscia numina veri;
Queisq; patet solis quicquid vbiq; latet;
Sæpe reluctari primis quã visa fauillis:
Et frustra quoties rete tetendit amor.
Nunc tamen, vt nostro liceat discedere ab igne;
Ferre queas nigri murmura rauca sali?
Turbida quũ in summo paulatim suppara malo,
Hucilluc Boreæ spiritus acer aget.
Raptabitq; ratẽ multũ assurgentibus vndis,
Vt nequeant ipsi transtra per ire viri. (ris:
Quis tibi tunc animus, modo quũ sublimè vehe-
Despicieisq; feri desuper arua freti?

Nunc

Nunc vero irati ſuſpenſa pericula ponti,
Ne mons infeſtæ te premat altus aquæ?
O vtinam hybernæ frigus penetrabile Brumæ,
Stringat aquas: canâ veſtiat atua niue!
Sin patet in curſus pelagus, diſcordibus auris
Differat in medio vela pater pelago!
Quid precor infelix? placidi ſubſidia fratris:
Subſternat faciles et Galatæa vias.
Vt te, cuncta freti præuecte pericla Britanni,
Accipiat placido Gallia banda ſinu.
Illic, ſiue oculis aliqua eſt placitura puella,
Seu nulla eſt, flãmæ ſis memor oro meæ.
Hactenus, et lachrymis per mæſta fluentibus ora,
Subſtitit in mediis blæſula lingua ſonis.

FINIS.

EROTICON

Liber Sextus, cui titulus,

ELEGIÆ.

Elegia. 1.

Domino Ioanni Scoto Scototeruatio, equiti, Cancellariæ regiæ in Scotiâ directori.

SI peccat, monitis quiſquis non paret amici,
Hoc ego conuincar crimine Scote reus.
Quid præcepta paras? nempe vt tua iuſſa ca-
Sic ego Dî faciant liber amator eam! (peſcâ?
Ah ſed iners duro cogor ſeruire tyranno.
Cogor, nec mî iſto viuere ab igne licet;
Qui mea perpetuâ ſuccendit pectora flammâ:
Non prius infeſtis tacta Cupidinibus.
Hoc mihi ſeu vitium eſt, animi ſeu cæca libido,
Natura haud dextris addidit ominibus.
Non heic herba valet, tenerâ radice revulſit,
Quam ſaga Æmonijs Theſſala nota iugis.
Heic medici non dextra Dei: licet aduolet ille,
Reddidit Hippolitum qui tibi Diua tuum.
Quærebam tolli poſſet ſi vulnus; at illud
Pæoniæ vanam reſpuit artis opem.

„ Ecquid enim admoueat medicas Podalyrius herbas
„ Nulla vbi pro tãto cauſa dolore patet?
„ Nec venit ante oculos plagæ via cæca, ſed intus
„ Æſtuat: et clauſo pectore multa furit.
O quoties, volui curas ſopire Lyæo:
Triſtiaq; argutis vincere corda iocis!
At ferus, in cyathos, et læuia pocula, ſerpens
Admonuit dominæ, detinuitq; puer.
O quoties, lachrymas cupiens inhibere cadentes,
Acceſſi Aoniæ tangere fila lyræ!
Sed dolor è tumidis lachrymas protruſit ocellis:
Tenſaq; ſunt manibus fila remiſſa meis.
„ Nanq; vbi amor certâ violauit arũdine pectus;
„ Tranſmiſitq; ſuas dura per oſſa faces;
„ Ah! non Pierides, non carminis author Apollo
„ Proderit, aut Chio dolia plena mero.
„ Siue petas montes, ſcandit prærupta Cupido.
„ Siue vmbras, ſolũ tecũ adit ille nemus,
„ Siue lubet virides indagine cingere ſyluas;
„ Inſequitur ſæuas ſæuior ipſe feras.
„ Deniq; quicquid agas, fugias, maneaſue, tenebit
„ Nec lateri cuſtos deſinet eſſe tuo.
Heu, neſcis quid amor; neſcis: qui ponere flãmas,
Spiculaq; è toto demere corde iubes.
„ Differri poterit, fateor, mora Scote furoris:
„ At bene non verus tollitur vllus amor.
Crede, prius ſiccis remanebit piſcis in vndis;
Altaq; nocturnos Luna relinquet equos;
Terra prius ſummi ſcandet confinia cœli;
Nec Tenebris flauas in mare voluet aquas;
Quam vetus illa meo migrabit pectore flãma.
Huius ero viuens; huius ero moriens.

Stringe

Stringe manus duris ſolido ex adamante catheñis,
Quà pendet Scythicã qui dape paſcit auẽ;
In terras, in aquas extremas vſq; relega,
Quà nulla humano ſemita trita pede.
Illa dabit validis exſoluere brachia nodis,
Illa dabit celeri me pede ferre domũ.
Nec me tam facies dominæ pulcherrima cæpit;
Aut decor in flauis qui ſolet eſſe comis;
Quũ Zephyri leuis aura vagas per eburnea colla,
Iuſſit vicinis baſia ferre genis;
Non oculi tremulas vibrantes vndiq; flãmas;
Labraué puniceæ tincta colore roſæ;
Nec ſi qua Herculeo bis tinctas murice veſtes,
Aut ſimpſit Coos conſpicienda ſinus;
Quantũ, quod doctis Clario de fonte puellis
Pãr canit: et reſonũ pectine pulſat ebur.
Quantũ quod pudibũda, et morũ integra tenore,
Et nondũ tacto corpore caſta manet.
Deſine Scote ergo indomitos inhibere furores.
Deſine de rapido pellere corde malũ.
Deſine quod validâ ſemel eſt rãdice retentũ,
Vellere concluſis pectoris è latebris.
Pæna licet Tytii, Capaneî me fata morentur;
Et Stygis in mediis me ſitis vrat aquis;
Non tamen vlla ſequens dominâ diuulſerit hora;
Aut ad tam pulchræ lumina cæcus ero.
Illa tibi iuro per quæ modo lumina dixi;
Per conchâuectæ furta iocoſa deæ;
Per Suadã; Orchomeniq; deas; per quicquid amo-
Quod me tam dulci ſubdidit imperio; (rũ
Sic fore. ſi fallã Tragici vexate furores:
Tiſiphoneq; omni verbere terga notes.

Me legat, hinc iuuenũ quicunq; potenter amabit
Et fastus durâ perferet à dominâ.
Mè legat, arguti miratum verba Properti.
Siue Catulle tuos, siue Tibulle modos.
Quumq; leget, Paphii vates Leochæe puelli,
Quantum tu verus dicat, amator eras!
Hoc mihi plus, docti quã voluere scripta Galeni.
Plus mihi Socraticâ quam latuisse scholâ.
Plus mihi, quam summos det Iustinianus honores.
Aut clarum eximiæ reddat honore togæ.
Plus regum quam diuitias æquare, ducumq;.
Et tumidum Tragico carmen hiare sono.
Ecquid enim Æschyleo suras vincire cothurno,
Mæoniaue iuuat bella animare tubâ;
Amphiaraëæ prodest quid fata quadrigæ
Dicere; quid magni Laomedontis opes;
Si puer auratæ depromens cuspidis ictus,
Fixerit infestis pectora arundinibus?
Ah, quam tum mollis cupies tibi verba Philetæ!
Aut Cyreneæ fila mouere lyræ!
Quã tibi Mimnermus, quã Lesbia Nympha placebit.
Quam sapiet lepidi Tëia Musa senis?
Alter ad Inarimen igitur; pressumq; Typhœa:
Et verba inflato ponderet alta sono.
Triste scelus Danai referat. mensasq; Thyestæ:
Quum Sol auersos turbidus egit equos.
Alter aquas sulcet liquidas currente carinâ.
Visat et extremis subdita regna polis;
Nempe vt aquis ignes frustra compescat Amoris:
Imperet æquoreis quum Venus ipsa vadis.
Me iuuet angusto numeros concludere gyro:
Quos bene non durus iam mihi dictat amor.

Me iuuet assiduis madidum certare corollis,
Ducereq; ad charæ pocula nomen heræ.
O ita Scote abeat, sic flagret prima iuuentus!
Sit modo de dominâ spes mihi blanda meâ.

Elegia. 2.

In Riualem.

Hæcne etiam accessit nostro iactura dolori?
(Me miserũ!) an veri fabula nomen habet?
Hancne putem alterius stringi gaudere lacertis,
Quæ se tam firmâ dixit amare fide?
„ Ah, sæuum nimis et malefidum fœmina nomen,
„ Ah, solâ constans in leuitate genus!
Ah, pereat cupidũ didicit quæ fallere amantẽ:
Et sua Lethæis nomina mandet aquis!
Hoc meruere æstus, exantlatique labores?
Nudaque simplicitas, et genuina fides?
Mille etiam casus, et mille pericula rerum?
Illa mihi vacuos ne sinat ire dies,
Cuius ab arbitrio perii, subitoque reuixi;
Inter et incertus spemque, metumque fui,
Illi ego at (hei!) nuper crudelia fata timebam:
Damnabamq; Deas, præcipitesq; colos.
Quum nox atra istis furtim subrepsit ocellis,
Qui mihi adhuc misero tam graue vulnus alunt,
Quas tũ ego nõ lachrymas, quæ nõ lamẽta parabã
Iret vt effusis, mæsta Elegeia comis?
Quam tum sæpe imo gemitus de pectore ducens
Clamabam: mea lux, sic mihi rapta iaces?
Ibimus, et Stygias vnà tranabimus undas.
Nec tibi mors soli hunc, claudet iniqua diem.

Tecum

Tecum ego Perſephonen, Ditiſq; ſilentia regna,
Et carpam fido paſcua leta pede;
Myrteus Elyſios vbi lucus opacat amantes;
Fallentes placidâ vulnera prima lyrâ.
Blanda vbi perpetuo Zephyri leuis aura ſuſurro,
Natiuus multùm interſtrepit arboribus.
Et ſuadent tacitos labentia murmura ſomnos,
Murmura ab argutis ædita fluminibus.
Heic ego arundineaſq; comas, interque papauer,
Audebo auratam ſolicitare lyram.
Et pueri primos narrare Cupidinis ignes:
Vt me non vnâ cuſpide fixit Amor.
Dumq; cano recubare ſinu, mea Delia, veſtro;
Et dare pallidulis baſia mille genis.
Fors quoq; nos aliquis viridi ſpeculatus ab vlmo,
O quam conſtanter hi duo, dicet, amant!
Optabitq; meos in ſe tranſferre calores,
Lesbia Pierijs addita Nympha choris.
Quæq; ſuo Phrygium maculauit ſanguine ferrum
Quæq; dedit falſo fila regenda viro.
Atque aliæ innumeræ, quas fama Heroidas ornat
Bellerophonteis nata cacuminibus.
His, ego ſolicitus ſuperos in vota vocabam;
Sacratiſq; dabam thura Sabæa focis:
Nempe alii vt cupiat potius mea bella videri:
Sitq; magis tacitè cui placuiſſe velit.
Alter in amplexus ergo, et mihi debita ſerpet
Baſia? credibile eſt iſta videre deos?
Credibile è ſumno curare hæc infima cœlo,
Qui mittat dextrâ tela triſulca Iouem?
Iupiter ô, ſi tu Deus es, rape fulminis ignes;
In mihi deuotum deſiice tela caput,

Si de Sidonio non falsa est fabula tauro;
Nec quæ de Inachiâ pellice multa refert.
Quos ego non patior furiatâ mente tumultus?
O in quod magnum me vocat ira scelus.
Nostra licet sæuum penetret sub pectora ferrum;
Inque abeant artus tetra venena meos:
Me licet in Siculo viuum torrere iuuenco,
Et poscant laceri figere membra veru:
Lenior accedam. nulla heic patientia nobis;
Hæc tetigit magnos sæpius ira deos.
Testis erit Phœbus, coruo qui credulus albo,
Transegit dominæ pectora chara suæ.
Testis Tartareæ fuscus Deus arbiter aulæ,
Perithoi multa compede membra ligans.
At tu qui nostros donis mercaris amores,
Diceris et nostræ viuere gratus heræ,
Istæ saxa manus, ista et sint brachia quercus:
Vt nunqam posthac in mea colla ruas.
Quas et auarus opes cumulato congeris auro,
Auferat iratis Adria toruus aquis.
Ipsa neget Cereris tellus tibi munera, et ipse
Ate amnis liquidas in mare voluat aquas.
Vsque tibi spissis obscurus nubibus æther:
Vsq; tibi aflatus deneget aura suos.
Vni sol niger, et nunquam sit lucida Phœbe;
Vni annus varias nesciat ire vices,
Et quando innumeras longis erroribus vrbes
Expleris, durâ pressus vbiq; fame;
Vix tamen inuenias cui sis miserabilis: aut qui
Porrigat exiguæ commoda parua stipis.
Euenient, dat signa deus, qui dicitur vsq;
Aonio flauas fonte lauare comas.

Ille etenim pueri flãmas bene nouit Amoris:
Et deus hoc didicit quam sit amare graue.
Testis quæ Penei patris implorauerat vndas,
Fessa nimis longâ Nympha pudica fugâ.
Testis Leucothoe. Clymene. Clytieq; relicta.
Et quas longa foret dinumerare mora:
Illum equidem vltorem pro tantis affore credo
Criminibus. nec me decipit augur auis.
Tunc ego te frustra genua incærare deorum,
Tunc ego ridebo vota, precesq; tuas.
„ At quicunq; aderit, discet non lædere vates.
„ Pro quibus Aonii militat ira Dei:

Elegiæ. 3.

Heliotropium Montgomerii παραφράσον.

Qualis amans Clytie, quũ sol sese occulit vmbris,
Curarum nimio pondere muta iacet.
Languidulum herboso caput inclinata cubili:
Ceu quem lethiseræ fixit arundo Deæ.
Nec sinit auratos per frontem errare capillos,
At desiderio candide Phœbe tui
Contrahit; Eoo donec de cardine mundi,
In Phaetontæis conspiciare rotis:
Frænaque corripiens validâ spumantia dextrâ,
Illustres radiis vndique cuncta tuis.
Tum tibi de tenui modulato gutture cantu,
Turba salutantum perstrepit alituum.
Tum tibi et illa comas nondum per colla fluentes
Explicat: atque oculis ridet Apollo tuis.
Talis ego, nisi me dominæ prope limina sistat,
Candidus, et lætâ fronte serenus Amor.

Hiſq; oculis,mellitum oculorum haurire decorem,
Et valeam flãmæ lampadas adſpicere.
Illa vbi deſeruit duro ſub Amore gementem,
„ Enecat: ancipites,mens negat ægra moras.
Mille miſer patior diuerſæ cuſpidis ictus.
Vnum cor,multo vulnere vulnus habet.
Pallida natiuum mutat mihi forma calorem:
Forma habet indicium pectoris illa mei.
Spes bona,deſperat quæ cordi vulnera fecit,
Ales Amor,curâ poſſe coire ſua.
Languida mens,ægro torpet confecta dolore,
Iam Stygios ſpectat proxima vita lacus.
Nec me cornipedem redeuntibus ordine gyris
Flectere nec manibus ſumere plectra iuuat.
Pænitet heu luſu mollem tranſiſſe iuuentam.
Excruciantq; animum tempora læta meum.
Quodcumq; aſpicio cauſa eſt ſatis ampla doloris,
Nullaq; ſunt oculis, lumina grata meis.
Nam mihi quæ ſolum ſplendebant lumina lumen,
Triſtè ſub abſentis nube latent dominæ.
Dũ mea Nympha,meus, radianti ſydere, Phœbus,
Præcipites ad me flexerit alipedes:
Luminis vt dii blando fulgore coruſcus,
Eripiar tenebris ô Libitina tuis.
Illa vbi de cælo nitidum caput extulit aureo,
Et matutinos flectere cæpit equos.
Languor,et ingratæ fugiunt de pectore curæ.
Nec miſer arentem cernere cogor humum.
At leuior; et cui nunc didici ſeruire puellæ,
Specto indefeſſis lumina luminibus:
Tum deſiderii noctem,quam longa videtur,
Quum videt optatam præcipitaſſe fugam,

Ille

Ille amini vigor; et mentis vis ignea magnæ,
Spem monet è vili membra leuare thoro,
Tum me non dubiæ monet incostantia sortis,
Tum me nulla potest detinuisse mora,
Quin læta superas exlurgam fronde per auras.
Dum sua tu stirpi fers alimenta meæ.
Cernis vt exultem passis per colla capillis?
Inq; tuos pandam brachia nostra sinus?
Cernis vt ille color, mortis qui debuit esse,
Purpureo roseas tingat honore genas?
Expectate dies, et luce beatior omni
Necte precor longas in mea vota moras.
Necte precor, tuque ô qui dirigis ora lupatis,
Tardior occiduis Phœbe laueris aquis.
Sim tibi zodiacus, mea vti quæ summa voluptas
Spectetur multis firmius heic oculis.
Si faueas, miserum cumulabis munere vitæ:
Sin fugis, hæc celerem mî feret hora necem.
Sed frustra, ah frustra hæc. quũ vix mora libera fã-
Curris ad arbitrium non ita Phæbe tuum. (di.
Orbis enim, celeri qui secum agit omnia gyro,
Teque, tuosq; ignes Cynthie blande rapit.
Ergo cùm duri fixere hæc tristia Diui;
„ Nec licet æternæ vertere legis iter,
Siqua precor nostræ tangit te cura salutis
Corripe festinâ fortia lora manu.
Quod supereſt (durâ quoniam sors lance negauit
Cætera) ab inuito, spes mea, tristè, Vale.

Elegia. 4.

Elegia. 4.

In vini abusum.

Quis fuit inuento qui proluit ora Lyæo
Primus; et à gratis auius iuit aquis?
Illi nascenti, fatalia pensa Sorores
Debuerant pullâ subsecuisse manu.
Illum terra parens cæco inuoluisset hiatu.
Mersisset rapidis nox Phlegetontis aquis.
Ille quot ô hominum generi mala vexit? ab illo
Qualis mutati venit amoris hyems?
In cuius subiere locum, rixæq; cruentæ,
Præliaq;, atq; irâ concomitante furor.
„ Vino, quæ modo casta fuit, fit mæcha marito;
„ Et violat sacri iura, fidemq; thori.
„ Vino, dulce decus formæ corrumpitur omne,
„ Quum turpat nitidas purpura fæda genas.
„ Vino, prona ruit Lachesis; cultrumq; sorori
„ Sufficit; et iuuenem peierat esse senem.
„ Non olim fatuo soleis Pandora Epimetheo
„ Dira tot in clausâ pixide damna tulit;
„ Quum fundo spes vna imo subsedit, vt inde
„ Solamen miseris posset adesse malis;
„ Quot vinum furias, quot trista funera terris,
„ Morborum species quot tulit; atq; necis.
Quin ô quin scelus hoc terrâ procul exulat õni.
Quin ô quin Diui perditis hoc vitium.
Quis tulit huc Satyros? vel quis madidos Silenos?
Quisue corymbiferi sistra, scyphosq; dei?
Non eget his Thamesis. non his Bodotria glaucus
Non eget his placidi gèmmea ripa Tai.

Ipsi

Ipſa viden tellus, renuit tibi læuis Oſiri,
Atque tuis aptum vitibus hoſpitium.
Exerce Phario Marëotica iugera Nilo
Pinguia, quà pluuiæ non cadit imber aquæ.
Exerce glebas, quas mendax cunq; ſupinis
Laudibus in cœli Græcia ſumma vehit.
Itala te potius teneant, vel Gallica rura.
Aut Tagus aurifluis quà ſubit æquor aquis.
Quidnã Arctoa petis mũdi loca: plauſtra vbi pigri
Aurigæ: et canam non adit vrſa Thetyn?
O vtinam tibi noſtra Caledonis ora lateret;
Quæ nimis ad cyathos iam venit æqua tuos!
Quæ noctem vino tentat ſuperare; diemque;
Improba, virtutum non memor, et proauũ.
Illos in duri certamina Martis euntes,
Cornua cum rauco perſtrepuere ſono;
Et vel Britto ſuos, vel Pictus tenderet arcus;
Cimber et iufeſtâ bella ſecure daret;
Non pater Ogygius, non luſibus apta Dione, aut
Flexit fæmineis tibia grata choris.
Ferre ſitim, ſuperare famem, contemnere brumæ
Frigora, et æſtiuæ torrida ſigna canis,
Cautibus in rigidis duram captare quietem,
Et Cereris ſolo munere mane frui,
Illa Caledoniæ gentis Mauortia virtus.
Sic docuit Latios vertere terga duces.
Tum ſi pacis opus, terram proſcindere aratro,
Cura, vel è luſtris exagitare feras.
Ardua nubiferi ſuperare cacumina Grampî
Curſibus, aut fratres maxime Ochelle tuos.
Stagna leui curſu tranſmittere, flumina nando.
Aduerſam duris rebus inire viam.

Donec

Donec lassata fugâ certâ fera fixa sagittâ
Tanti non pretium vile laboris eat.
Tum focus in medio, stipulaue, humiliue myrica
Structus, vbi flãmas, sparsit vbiq; suas,
Viscera continuo costis rapuisse iuuabat;
Et tremulos artus in noua frusta dare.
Ventre bouis coquere, aut verubus torrere saligna
Atque in gramineâ sumere sede dapes.
Vtre leui Cererem, depromere; flumine Bachum.
Hæc illis vitæ norma seuera fuit.
Sic illi vixere sui decora aurea sæcli
Proles Fergusiâ credita digna domo.
„ At nos Penelopes sponsi, Alcinoiq; iuuentus,
„ Nil nisi curandâ de cute soliciti,
„ Currimus ad nudæ ludos per compita Floræ:
„ Et Veneris dici semper amamus aues.
„ Stertimus ad Bacchi cyathos, vigilemq; lucernã:
„ Dum feriat radiis nostra Falerna dies.
Eheu, (nam pudet, et semper meminisse pudebit,)
Præteritis qualis noctibus ipse fui:
Ebria quum multo moui vestigia Baccho.
Et volui quicquid fasq; nefasq; fuit?
Blande puer Semeles, quid me tibi fallere gratã?
Cur mihi blanditiis retia tensa tuis?
Quâ merui culpa fieri tibi vilior algâ:
Deserit in scopulo quam leuis vnda maris?
Ast ego, si memini tua munera corniger Euan,
Et thyrsum, et vites, poculaq;, et phyliras,
Cornuaq;, et lætâ pendentes fronte corymbos,
Sertaque de uiolis, sertaq; texta rosis,
In cœlum lepido versu sublimè vocaram.
Hæne igitur meritis præmia digna meis?

O

O vtinam, numquã noſſem tua dulcia dona; aut
Hauſiſſem labris pocula nulla meis!
Sic modo penè mihi vita eſt erepta furenti.
Dum multus rueret viſcera noſtra calor.
Febris erat, quæ me nocteſq; dieſq; fatigans,
Exſuxit venis ſanguinis omne meis.
Credimus? hoc Phœbus, turbæq; nouéplicis ordo,
Tum grauia in vatem numina facta ſuũ,
Inflixere mali; memor vt te hinc Bacche caueré:
Et fugerem ludos tempus in omne tuos.
Nunc ſupremà vale quid enim mecũ tibi, Iacche?
Eſt ſatis in curas Delia ſola meas.

Elegia. 5.

Amatoriis valedicit.

Qualis fumificas rapidi Phlegetontis ad vndas,
Aut Acheronteos impiatui ba lacus,
Doliolis iniectat aquas, neque dolia replet;
Semper enim infuſæ defluit humor aquæ;
Qualis et Æolides ſaxum reuolubile verſat;
Et ſitit in mediis Tantalus æger aquis;
Talis ego: qui perpetuo te candida verſu,
Conor in æthereas, Delia, ferre vias.
Namq; vbi principium, medium, finiſué laboris:
Namq; vbi erit numeris meta notanda meis:
Te ſine ſi nihilum mens inchoat: vnaq; venæ,
Materieſq; animi ſis, mea diua, mei?
„ Quis potis infinita vllis comprendere metis?
„ Quiſué modum ſtatuat cui modus omnis abeſt?
Si tua laus, tua ſi virtus, ſi gratia formæ,
Præfixis laudum finibus vſq; carent;

Cur

Cur ego, finitis quæram te claudere gyris?
Curue meo ſperem tollere in aſtra ſono?
Nunc igitur Paphiæq; genæ, Phœbiq; capilli,
Æmulaq; æthereis lumina bina globis,
Et mille in roſeis errantia baſia labris,
Et non mortali cætera digna ſono,
Voſq; ſimul, Veneriſq; puer, comiteſq; Valete,
Et chorus, et numeris barbite grate meis.
Sit ſatis ô, primam ſemel incaluiſſe iuuentam.
Sæpeq; ſepoſitis ingemuiſſe iocis.
Sit ſatis ô, vigiles duxiſſe ex ordine noctes:
In gremiũ ſalſæ dum cadit imber aquæ.
Nam quid ego cæcæ potui dare vela carinæ,
Huc vbi Sicanias Scylla reſorbet aquas?
Huc vbi flexanimis mulcent Acheloides odis
Pectora, Vlyſſeis non bene fulta dolis?
Debueram potius Phœbi grauioris ad aurem,
Aſtra ſuper poſitus, carmen hiaſſe lyram.
Atq; inter magnos ſublimi vertice vates:
Mouiſſe æterni maxima facta dei.
Vt pater ônipotens, totũ hoc quod vbiq; videmus,
Quod mare, terra, aër, aſtra, poluſq; ciuet,
Struxerit è nihilo; atq; ſui partem immortalem
Clauſerit, olim huius corporis in latebris.
Omnia quæ, nullo morituris tempore chartis,
Bartaſſi potuit tradere dia chelys.
Aut Solymæ motis pro libertate tyrannis,
Taſſæâ canerem prælia magna tubâ.
Aut quod ALEXANDRI ſacris operata Camœnis
Cura, Caledoniis prodidit alta ſonis,
Iudicium ſolemne Dei: quum plurimo ab igne,
Flagrabit vaſti ſolis vtrumq; latus.

Hinc

Hinc mihi materies fælicis carminis isset,
Ora per attonitũm suspicienda virũm.
Nunc Puer ille meæ carpsit libamina Musæ:
Lasciuisq; abiit prima iuuenta modis:
Forsitan vt diri fierent ludibria Momi:
Et male festiuas exprobet ille faces.
Nec tamen est, pudeat Pueri quod castra secutũ:
Aut precibus Gnidiam sæpe adiisse Deam.
„ Nã quod habet crimẽ dominæ meruisse fauorẽ:
„ Aut bene promissam non violasse fidem?
„ Quid sceleris firmi constantia pectoris abdit?
„ Et spem non longis deposuisse malis?
„ Quidue mali pia simplicitas, verumq; sed illa
Omnia, militiæ signa fuere meæ
„ Adde quod, et viridem dominæ Natura iuuentã,
„ Addixitq; tuis parue Cupido iocis.
Namq; aliter de stirpe hominũ genus óne periret.
Et quicquid tellus nutrit, et vnda maris.
„ Verna decent flores, æstiuaq; tempora spicæ;
„ Autumnũ fructus; frigus iners hyemem.
„ Blãdus Amor iuuenẽ. nũquã mihi ruga seuera,
„ In frontis viridis margine arata placet.
Hactenus, et Pueri dubios euasimus æstus:
Et dominam longo vicimus obsequio.
Nunc lyra de numeris, et tu chelys apta choreis;
Me iuuat inflatâ bella tonare tubâ.

FINIS

EROTICON.

Errata.

Pag. 12 lineâ 9 insideat. pag 21 l 13 inferamue. p 23 l 21 dî dì, huiusmodi alia inueniuntur passim que sic restituenda erum, otì, Carpathî, desiderî, Grampî, diu. p 26 l 4 fumat, 20 deas, 24 blandâ. p 39 l 4 furens, 11 vreret. 22 candida ô. p 27 l 1 mammæ, 2 sydera 11 manus. p 30 l 22 punctum auferendum. p 35 l 6 dolu, 14 cernens, 32 nescio. p 31 l 12 neganti, 14 prodita 15 tu, fumem. p 49 l 3 herì. p 50 l 22 quæ. p 56 l 4 modicè, 16 quà. 60 post Acherontici deleatur comma. p 92 l 3 angit, 4 dolorem 27 quas. p 67 l 10 putaret 18 laxos. p 70 l 27 pipilantes. p 72 l 32 fontis. p 76 l 11 diem. p 80 l 18 decreta p 82 pro lineâ illâ, cor vulnerum patescit, restitue, quod cor modo arbitraris. p 85 Elegiæ. p 91 l 9 querelis. p 92 l 6 pro sui restitue docens. p 95 l 20 vagari. p 97 l 16 fingere. p 99 l 16 suffusa. p 101 l 4 arua. 103 l 30 Tiberis. quæcunq; alia occurrent, ipse per te, lector amice, corrigas, iterum, atq; iterum rogo.

IOANNIS LEOCHAEI SCOTI

Idyllia,

siue

Eclogæ.

Bucolicæ.

Piscatoriæ.

Nauticæ.

Ampelicæ, siue Vinitoriæ.

NOBILISSIMIS
COMITIBVS,
Alexandro Setonio, Fermelodunj
Comiti, Vrquhartio, & Fyuæo
Baroni, & Scotiæ Can-
cellario.

Thomæ Hamiltonio, Comiti Melrosij
Beningio Baroni, &c. Supremi Se-
natus in Scotia Principi, &
Secretario.

Clarissimis equitibus,
Gulielmo Alexandro, Menstræo, Sereniss-
simo Britanniarum Regi a libellis
supplicibus.

Ioanni Scoto, Scototernatio, Cancellariæ
Regiæ, in Scotia Directori.

Ioannes Lochæus, Salvere.

Epistola.

Ecce vobis, (Nobilissimi Comites, clarissimi Equites,) quicquid prius Idylliorum, vestris nominibus voueram: quicquid superiore anno promiseram: dum Augustoriti-pictonum degens, iuri ciuili partim operam darem: partim in prælegendis græcis auctoribus alijs collocarem Parerga hæc illius sunt temporis: & inter negotia otium. Verum, (vt libere apud liberos) nunquam minus otiosus quam quum me sic otiosum hora præterieus reperire potuit. suauis admodū, & difficilis fuit labor: plusque in recessu, quam accessu, rerum fellis attulit. testor insomnes noctes. testor vigiles lucernas. sed hæc fuerit. nunc meminisse anteacti laboris iucundum. quanquam ad huc Antæ heic mihi superet expurgandum stabulum. vix enim futuri operis primas lineolas ducere potuimus. in infantia adhuc sua est. erit aliquando, (si per fata licet.) quum melior vires ingenius dabit. Et sane hoc mihi iam nullatenus restaret Hygiea tam amica, quam voluntas, hactenus affulsisset. Sed scitis vos, quoties ego cum acerrima febre luctatus.

Quam penè furuæ regna Proserpinæ,
Et iudicantem vidimus Aeacum.

vix adhuc pleno ore Aesculapius arrisit. Vos ergo, qua estis humanitate, & erga me meaque studia fauore, quicquid heic in curia, præcipitantiaue mea, inscitiarū aut ineptiarum occurret, venia in aliquod saltem tempus dignamini: donec mihi, a curis, morbis, & domesticis procellis, liberius respirare concessū fuerit: non enim erit inter postremos hic labor: vt conatus non inter infimos. motus enim quisque est, qui tam varia in hoc genere egressus? nanque, vt Bucolica excipias, in quibus non

pauci: quis oro præter Sanazarium, Piscatorias Eclogas: *quis præter* Hugonem Grotium Nauticas *tentauit? & illius (quod dolor! maximo esse possit.) ex. quid præter vnicum* Nauticum *extat* Idyllium? In Ampelicis *nullus (quod sciam.) hactenus primus ego illas agressus, nondum tamen ingressus. Cæterum (Nobilissimi Clarissimique heroes) qualiacunque hæ tandem aut sint, aut videri poterint, qua fronte vobis offerri videris, accipite. dies forta sis vobis magè digna in lucem maturiore passu prodire iubebit. ego inter eos qui exspectant.* Valete, & Lecochæum vestrum, solito fauore, & amore dignanimi.

ECLOGARVM
Bucolicarum.

Argumenta.

1 TRium amicorum suorum, G. i. Alexandri Menstræi, Ioanis Scoti Scototeruatij, equitũ, & Gul. Drumondi ab Hathornden, desiderium exponit.

2 Iacobi Magni Brite. Fran & Hibern. Regis, reditum in Scotiam.

3 Ingratitudinem cuidam Duci Franco exprobat.

4 Caroli Valliæ Principis Genethliacon continet

5 Præcipuos Scotos poetas, eorumque opera decantat.

Piscatoriarum.

1 Alexandro Setonio, Scotiæ Cancellario, de statu suo conqueritur, eiusque auxilium implorat

2 Andræi Leochæi, verbi Dei quondam præconis, patris sui, obitum deflet

3 De agris Andreanis, penè sibi, per illustrissimi Ludouici Leuiniæ Ducis famulos, ereptis, conqueritur.

4 Quæcunque circa aquas Scoticas miranda magis circumferuntur, exponit.

5 Iacobo, Magno-Britannico Monarchæ, vitæ
suæ anteactæ, hucusque, seriem narrat. eiusq;
opem, in aduersis implorat.

Nauticarum.

1 Chloridis puellæ querelam habet de Amyclæ
sui longiore morâ.
2 Artis nauticæ, Typhiosque laudes continet.
3 Duorum iuuenum excubias in naui agentium de
diuersis amicarum suarum affectibus carmina
continet.
4 Nauigatores præcipuos oculis subjicit.
5 Iuuenis amantis, & Echus colloquium

Ampelicarum.

1 Choreas Rusticas Vinitorum festis diebus de-
pingit.
2 Iuuenis vuas amicæ ferentis querimoniam
inter eundem.
3 Duorum Vinitorum de fœminarum virtutibus
& vitijs lites.
4 Duorum vnam depereuntium in canendo cer-
tamen.
5 Inuitatio, Georgio Montgomerio, Episcopo
Medensi, & Clophorensi, ab hortulano facta;
vt in Hiberniam redire aliquando velit syl-
uasque suas inuisere.

ECLOGAE BVCOLICAE,

Clariſsimo viro

Gulielmo Alexandro Menſtræo equiti, Sereniſſimi Britanniarum, Franciæ, & Hiberniæ, Regis libellorum ſupplicum Magiſtro.

IOANNIS LEOCHAEI SCOTI,

Eclogæ Bucolicæ.

Eclogæ prima.

Alter.

PAnos ad arbitrium, populiq; vrbesq; valete,
Rura mihi, & tremulæ placeant sub frondibus vmbræ.
Ruris amor me insanus agit, me dulcia Tempe,
Me liquidi fontes, queruli vaga murmura riui,
Me nemus, & læto molles in gramine somni,
Vltima ad innocuæ traducant tempora vitæ.
Huc ô dulcis olor, Menstrei gloria ruris,
Dum calamis, læti tua iussa facessimus, adsis.
Heic placidos Philomela modos, heic fudit alauda
Heic viridis raucis circumstrepit herba cicadis.
Heic neq; passeribus Venus est ignaua; nec absunt
Fœdera turturibus: nec basia mille columbis.

Omnia grata satis.tantum diuine Poeta,
Vatum ô grande decus,paulum Thamesia rura
Desere:& Aeschylco temet furare cothurno,
Dum tuus agrestem Lycidas percurret auenam
Ite meæ teneræ.simum pecus ite capellæ,
Spargit vbi densas vicinior arbutus vmbras,
Dum noua Mænaliâ paro dicere carmina cannâ;
Et reuocare pios memori de mente furores,
Incipe nunc veteres mecum incipe tibia flammas
„Sæuus amor duros alijs partitur amores,
His faciles:facili mihi fixit arundine pectus.
Vt caluere artus,subito noua flamma medullas
Transsubijt:placidoque insedit corda furore.
Vnus erat tanti deus,vnica causa caloris.
Vrius vna tamen non vulnera,trina fuere.
Vulnera trina fuere,& ter mihi vulnus amicum.
Vnus trina tuli,sed ab vno,vulnera,diuo.
Incipe nunc veteres mecum incipe tibia flammas
Tempora si nuneres, primum mihi vulnus Amyntas
Proximius Damon,supremum venit Alexis.
Verum si nuneres flammas, si pōdera amoris,
Nescio quem præferre velim non primus Amyntas
Non primus Damon.non primus venit Alexis.
Sed neq; postremus Damon,neque blandus Alexis
Vltimus aut charum mihi detulit ardor Amyntam.
Primus erat,fueratque idem postremus Alexis.
Postremus,fueratq; idem mihi primus Amyntas.
Et primus fuit,& Damon fuit vltimus idem.
Viuite concordes, parilis mihi vulnera flammæ,
Ter Phœbi soboles,charitum ter nobile germen.
Incipe nunc veteres mecum incipe tibia flammas
Vos ego perpetuæ,charissima nomina,famæ,

Si qua meis numeris hinc gloria, commendabo.
Dumq; aliquod tenui modulabor arundine carmen
Quamuis molle modis, quamuis sit debile neruis,
Nempe humilis tuguri vili sub culmine natum,
Errantesue inter propter dumeta capellas,
Audebo in vestras tamen audax surgere laudes.
Vos iuga, vos syluæ, vos conscia saxa loquentur.
Vos vmbræ altorum nemorum, vos si qua sub vndis
Naias, aut si qua est vicini montis Oreas.
Incipe nunc veteres mecum incipe tibia flammas.
Nec tamen est nostræ quamuis sint rustica, Musæ;
Carmina spernatis. mihi Pan persæpe Lycæum
Deserit; & nostras mauult audire Camœnas.
Si mihi vera senex narrat Melibæus. & illi
Cur ego non credam? nostros modo rustica pubes
Dum salit ad numeros; Satyri venere frequentes;
Totaque festiuis stupuerunt antra choreis.
Me quoq; Naiadas fama est, Dryadasq; puellas,
Et sparsas per colla comas, humeroq; Napæas,
Numina me fama est excelli montis amare.
Scilicet inde meæ placet & mihi gratia cannæ.
Incipe nunc veteres mecum incipe tibia flammas
O si quis superum, Thamesis quà pinguia culta
Irrigat, & patrijs ludit Bodotria ripis,
Me modo constituat! si quis deus hoc volit, illi
Illi ego votiuâ faciam stata sacra capellâ.
Nempe mihi vt liceat cupido placida ora tueri;
Ore quibus Musæ gaudent; quibus altus Apollo;
Et quicquid gratũ est, & quicquid dulce venustũ est,
Qualis ego fierem! sine vobis iam mihi certè
Tristis hyems media regnare æstate videtur
Incipe nunc veteres mecum inci;e tibia flammas!

Ah, sine iam vobis, desunt sua gramina campis.
Arboribus frondes, lucis vaga tela diei.
Ipsos hos calamos, ipsa hæc mea carmina damno,
Odi quod iuuat: & requies curæ altera cura est:
Non mihi dulce magis resonat Philomela cicadis.
Horrida Strimonijs contendit noctua cygnis.
Non velut ante iuuat Paphias spectare volucres;
Inuida purpureis sociantes basia labris.
Non me delectat, tenui dum gutture passer
Pipilat: & teneræ flammas testatur amicæ.
„ Omnia sunt ingrata. offentant omnia curas.
Incipe nunc veteres mecum incipe tibia flammas.
Ter dulces animæ, ter amor, terq; vnica flamma,
Quando erit vt liceat vos cernere? quando erit illa
Læta dies, ruet amplexus quum vester in arctos;
Qui modo Pictonicũ Lycidas colit aduena Clanũ?
O quas delitias, ô quæ non gaudia menti
Imprimet ille suæ, vestris vicinus ocellis?
Ille licet Pylios dextrâ iam computet annos;
In noua mutatâ transibit secla iuuentâ.
Nunc jacet, elapsis veluti minus vtilis annis;
„ Credimus? an qui amant vnâ vel luce senescunt.
Incipe nunc veteres mecum incipe tibia flammas.
Quantum ver hyemem, quantum redolentia mala
Pruna super, quantum propriâ villosior agnus
Matre tener, vietum iuvenis florente iuventâ
Quam superat, plenis virgo quam nubilis annis
Ter viduam thalamis multo formosior anteit,
Attica quam volucris reliquas supereminet omnes,
Tanta mihi vos ô cœlestia gaudia visi,
Tantas delitias dabitis. non sceptra beata
Præ me, non ipsos credam mage viuere diuos.

Incipe nunc veteres mecum incipe tibia flammas
„Nam mihi quid charis poterit contingere amicis
Gratius? ô ſyluæ, ô blandiſſima paſcua, Pani
Dicite, ſi dulces velit hic inflare cicutas;
Hoc dicit, Lycidas, Lycidas tuus vſque miniſter,
Sorte ſua fœlix, tibi Pan tua Mænala ſemper:
Sint mihi perpetui, qui nunc mihi vulnera, amici.
Incipe nunc veteres mecum incipe tibia flammas.
Teruati colles, blandis terra hoſpita Muſis,
Claraq; vos tanto Menſtrêia paſcua Phœbo,
Et iuga quæ denſis circum vndiq; conſita ſpinis
Cum Damone meo tenerum fouiſtis amorem,
Eſte ſalutata æternùm mihi: neuc negate,
Aut pecori, aut gratas veſtris paſtoribus vmbras.
Deſine nunc veteres nunc deſine tibia flammas.

ECLOGA SECVNDA

Daphnis redux.

Lycidas, Mœris, Alexis.

FRonde sub ilicea sessus recubarat Alexis,
Quum cæli medio sol feruentissimus ardet:
Inde pecudum, calathusq; & pastoralia signa,
Inde iacent calami, quos dum coniungere tentat,
Incepum blandâ fallebat voce laborem.
Vederat hunc, baculo nixus quem forte tenebat,
Pene puer Lycidas, cui vix dum prima decoras
Vestibat lanugo genas, non doctior illo
Pastorum calamos inflare: aut dicere versus.
Forte etiam insanos illo iam tempore amores
Phyllidis, & fastus Hyales referebat iniquos.
Ille vbi dilectum primò conspexit Alexin,
Constitit ambiguus: din vultum vbi, & ora notauit,
Gaudia, spemque inter, Mœrin vocat, atq; ita fatur.

Lyc. Coge citus teneros ipsis cum matribus agnos,
Coge citus stabulis. quid enim hic cessamus inertes?
Aspicis hunc trepidæ modo qui successerat vmbræ,
Aspicis en reducem (species nisi ludit) Alexin?

Mæ. Et dubitas? nec adhuc memor es, quæ Pana canen-

canentem,
Syluicolasque deos procul heic audire duobus
Contigit? hi patrios rediturũ Daphnida in agros,
Hi comitem magno redituru Daphnidi Alexin,
Narrabant syluis. Nunc ô nunc surgite syluæ,
Crescite frondosi colles reuirescite campi,
Iam redijt Daphnis, redijt cum Daphnide Alexis,
Quod si non oculos veri deludit imago,
Ecce ipsum video calamos, quos ille solebat
Condere, dum cantat formoso Daphnidi, soles.
Ecquisnam ô superũm nobis te reddidit? ô quam
Dexter & ille bonus! certè quicumque perenne
Illius hæc meritos celebrabit fistula honores:
Ecquis Alexi deũm patrijs te huc appulit oris,
Fare age iam: & cupidas satia sermonibus aures.
Al. Quin prius heic pueri frigus captate benignum
Et mecum gelidâ paulum requiescite in vmbrâ.
Vmbrâ Pan pecorum cultos, & gaudet Apollo,
Vmbra fauet Dryadum choreis, placet vmbra Napœis,
Et Satyris, Bacchisq; & pexis tempera faunis.
Et tibi grata vmbra est, multâ quum fessa Dianâ
Membra super læti deponis gramine campi,
Subter arundineasq; comas, grauidumq; papauer,
Daphni decus vatum: pastorum gloria Daphni.
Qui patriæ indomitas agitans modo pectore flammas,
Negligis incanasq; niues, gelidasque pruinas,
Atque Caledonijs erras nouus hospes in oris.
Ah quam sæpe alto gemitu de pectore duxi!
Sæpius & magnum miseratus Daphninis ignem,
Daphni quid insanis dixi? quo tendis? an ire

Perque iuuat medias hyemes, friguſq; niuales
Vt tibi ſic teneras glacies fecerit aſperas plantas!
Nota tibi iuga ſunt ipſas ſubeuntia nubes,
Grampius, & celſi ſernunt qui ſydera Ochelli.
Nec tibi quæ fuerant iuuenili in corpore vires,
Iam ſuperant: quum tu ſyluas in dagine multâ
Cingere, quum valido catulos terrere luporum
Comminus auderes properat, viden', ægra ſenectus
Et tua nunc primis ſparguntur tempora canis.
Parce igitur per Pana tibi, Phœbumq; Palemque,
Et colitur noſtris ſi quis deus alter in agris,
Mille tibi Tameſis propter diuina fluenta
Errant, & teneris balatibus vbera quærunt,
Et totidem lætis paſcuntur vallibus agni;
Quas Bruinda coler, Banna, aut rigat, vnde Suiri.
Vnde Caledonios ſaltus, & inhoſpita quæris
Teſquæ? vel Arctoâ iuga ninguda ſæpe pruinâ?
Talia nequicquam. Daphnis venatibus apta
Nam nemora inquirit, ſaltuſq; & luſtra ferarum.
Me vero comitem veniens huc ſumpſit, & Humbro
Diſcedens, puero paſtori talia mandat.
Ceryle dum redeo, breuis eſt via, paſce capellas.

Lyc. Ergo terq; quaterq; o ſtu felicia ruta
Sa paſtore, (vnquam ſi fors ſua commoda noſſent,)
Inviſit Daphnis? patriæne ita dulcis imago
Ante oculos ſubijt; mentemq; accendit amore?
Felices pulchrum viſuras Daphnida ſyluas!
Felices ſyluas! tum quæ pellucida in imo
Glarea ſubſidit! tum quæ ſuper aſſilit vnda!
Vos iterum æthereis vos Daphnis cernet ocellis.

Alex. Interea, vobis ſi blandùm arriſit Apollo,
Aut Pan monſtrauit calamos inflare cicutâ,

Si

Si quâ velit Nymphis docuit cantare beatis,
„Carmina pauca precor. fugiunt namq; otia Musæ.
Daphnidi cantemus, tangunt quoque carmina
Daphnin.
Victori pecium taurus, quem munere nobis,
Ipse dedit, dixitq; tuæ hæc sint præmia Musæ,
Incipe Mœri prior. Lycida tu deinde sequare.
Mœ. Accipite hæc Musæ, diuum certissima proles
Tuque pater sacrâ præcinctæ tempora lauru.
Vos Dryades, Satyri, Fauni, & tu maxime Daphni,
Quodnã etenim in nostris, numen præsentius agris?
Ly. Carmina Pierides bene amant, & pulcher
Apollo.
Carmina amant Dryades, Satyri, Fauniq; bicornes.
Carmina amat Daphnis, quidenim non carmina
amaret?
„Ipse canit facienda: facit simul ipse canenda.
Mœ. Sume precor gratũ testantia munera Mœrin,
Ecce tibi niuei concreta coagula lactis.
Aureaque in textis nuper mihi, mala, canistris.
Hæc nunc, digna aliæ referent mage munera messes.
Mœ. Munera quæ minimus magno det Daphni
di pastori?
Munera quæ pastor? solus quum maxima Daphnis
Munera det multis, sin tangunt munera Daphnin,
Ecce pedum, & calathum, Lycidamque in munera
totum.
Mœ. Quantum vere nouo, campis exultat opimis
Vir gregis inter oues: quantum dum iungitur vlmo
Lætatur vitis, quantumque vsti imbribus horti;
Tantum Daphni tuos reditu lætamur in agros.
Ly. Grata quies longo fessis messoribus æstu.

Grata

Grataque lux miseris quos aunxi curâ remordet;
Hespere, tu cupidis properas grata hora maritis:
Si nobis rediens non Daphnis gratior esset.

Ma. Heic ver perpetuum, heic sunt purpurei Narcissi.
Heic violæ, dulcique aspirat amaracus vmbrâ.
Heic molles maluæ, sed nos si Daphni relinquas,
Omnia marcebunt, nec erunt sua gramina campis

Ly. Fronde nemus, segete at tellus exultat opimâ.
Flore nitent horti, placidos viret herba per agros.
Montibus his abeas minimo vel tempore Daphni:
Non frondes, segetes, flores, nec videris herbas.
Heic mihi nunc facili Zephyri strepit aura susurro
Suadent blanda altos riuorum murmura somnos,
Dulce canit volucris, quod si mihi Daphnis adesset,
Possem ego felicem diuum contemnere vitam.

Ly. Nulla placent sine te nobis bona. Displicet arbos,
Aura nocet, placidos fugio cum murmure riuos,
At si aderis iam Daphni, placebit & arboris vmbra
Aura canet, placidi præbebunt otia riui.

Ma. Grata Ioui quercus, vitis formosa Lyæo,
Myrtus Acidalios incingit fronde capillos,
At mihi tu si Daphni bonus quandoque fauebis,
Ridebo ingentes syluas: & frondea dona.

Ly. Ver molles violas, segetes feruentior æstas,
Poma dat autumnus, Boreæ mala frigora Bruma;
Carmina dat Lycidas, si Daphnidi fortè probetur.
Vna illi innumeris erit hora beatior annis.

Ma. Piscis in æquoribus, volucris vaga quæritur auris,

Et

Et fera de syluis, lupus inter ouili a tristis,
Daphnidis in gremio requiescunt gaudia nostra.
Vnde igitur certam nisi ab hoc sperabo salutem?
Ly. Vitis in aprico spargit sua brachia colle.
Pinus in irriguis surgit formosior hortis.
Ante tuas ego Daphni fores deserta oberro.
Qui potis es lætis Lycidæ mala tollere ocellis.
Al. Sistite venatu Daphnis redit, ecce canum vis
Magna præit. comitúq; subit denso agmine turba.
Postera, vbi orta dies, disperget lumina mundo,
Nos quoque vobiscum viridi heic cantabimus vmbra.
Nunc satis est sed carminibus ne præmia desint,
Tu taurum Lycida, niueam cape Mœri iuuencam,

ECLO-

ECLOGA TERTIA

Pharmaceutria.

Lycidas. Amyntas.

PAstoris Lycidæ, pastoris carmina Amyntæ,
Carmina quæ syluæ stupuere, & conscia saxa,
Carmina quèis pecus, & visæ adgemuisse volucres,
Et posuisse suos Zephyri lenis aura susurros.
Dicemus Lycidæ, pastorum, & carmina Amyntæ.
Hæc quoque nostrorum non dedignanda laborum
Orditur series. tu cui mea fistula primum,
Fistula trans gelidi Grampî iuga cana reperta,
Herbarum cecinit decus; & florentia prata;
Formosæque ignes Hyades, cape tenuia dona:
Debita dona tibi, spretas testantia Musas:
Atque hanc Idalias hederam sine tangere myrtus
Aurea vix roseo lampas Titanis ab ortu
Prodierat, fera quum latebris prorepit opertis,
Et rore humidulo gaudet lasciua capella,
Innixus viridi Lycidas ita cæpit ab vlmo.
Curarum nox vda vale tristissima nutrix.
Sol ades: & nostri veniens miserere doloris.
Exere Phœbe facem. Nam te (si fabula vera est)
Fama canit vaccas quondam pauisse Pheræas.

Tibi

Incipe ſolicitos mæſtiſſima tibia verſus.
Tibia Faunorumque greges, nemorumque puellas
Oblectat. ſemper paſtorum illa apta querelis:
Quique Deus primus calamos inflauit agreſtes.
Incipe ſollicitos mæſtiſſima tibia verſus.
Muſæ nullus honos: ultra quis carmina canter?
Dulce melos iam rana ferat, ſecloque ſequenti
Pro Muſis ſtolidi repetant conuicia picæ.
Mitte nouos Lycida ergo modos; tua ſtridet auena.
Rumpe leues calamos: ſpernit tua carmina Thyrſis
Incipe ſolicitos mæſtiſſima tibia verſus.
O ingratæ vmbræ! quid inania carmina fundo;
Dumq; illi eſt odio mea fiſtula: dumque Camœna;
Ingeniumq; potens: & multum cura placendi?
„An Nemeſin ſpectare oculis hæc ſingula credis?
Incipe ſollicitos mæſtiſſima tibia verſus.
Grampi ego ſæpe iugis, dulciſſima carmina Mœrin
(Et comes ipſe aderam) vidi de more canentem.
Tertius à decimo tum me conſpexerat annus.
Tum ſeruare greges, poteramque incidere vites.
Vt vidi! vt cecini! vt par mea dicta Camœna!
Incipe ſollicitos mæſtiſſima tibia verſus.
Nunc ſcio quid cantare in rupibus Ismarus altis
Me modo, vel Rhodope, Pinduſque, & maior Olympus,
Muſarum generis iuuenem, vel Apollinis optant.
Incipe ſolicitos mæſtiſſima tibia verſus.
„Muſa potens docuit curas impendere diuis:
„Diuorumque ſacris, felices vos quoque diui.
Felices diui magis, an furor vtilis ille?
Vtilis ille furor, felices vos quos quoque diui.
Incipe ſollicitos mæſtiſſima tibia verſus.

Nunc

Nunc etiam Dryades linquant nemus apta, choreis
Herba vacet satyris, violas ferat ardua quercus,
Puniceis humilis certet salunca rosetis,
Certet anas cygnis, fit Pan Melibæus agrestis.
Pan Deus ad Nymphas, interfit trigides Orpheus.
Incipe sollicitos mæstissima tibia versus.
Omnia vel nihilum fiant modo, viuite Musæ,
Ipse procul sæuis quà non vestigia ab Euris
Deferar, hæc nostræ sint dona extrema cicutæ.
Desine sollicitos iam desine tibia versus.
Hæc Lycidas, nunc quæ pastor respõdit Amyntas
Accipe, non similes canit omnis tibia versus.
Amin. Cinge tribus terna hæc diuersa altaria vittis
Larum hederamq; adole, magnorum insignia vatũ
Thyrsidis vt gelidus fugiat de pectore sanguis
Thyrsis vti caleat, nihil heic nisi præmia desunt.
Tangite frigentem mea carmina tangite Thyrsin.
Carmina vel tumulis poterunt ficca ossa ciere.
Carminibus Cholchis solita est frænare dracones,
In medijs scopulus cantando rumpitur vndis,
Tangite frigentem mea carmina tangite Thersin,
Haurio ter viuo de flumine, ter simul ortus
Respicio aduersus ter hiatibus ora resoluo
Voce vocans Hecatẽ, tribus omnia maxima cõstat
Tangite frigentem mea carmina tangite Thyrsin,
Licia terna tribus distincta coloribus Aegon,
Necte Aegon subito & vatum dic vincula necto.
Tangite frigentem mea carmina tangite Thyrsin.
Hæc aqua vti feruet, mouet hæc vt flãma calorem.
Ferueat & caleat sic vatum Thyrsis amore.
Thura tene, & rapidis vinum superingere flammis.
Thyrsis quo magis vrat, ego hæc in Thyrside vror.

Et

Tangite frigentem mea carmina tangite Thyrſin.
Talis cura illum, qualis quum comparis orbus,
Et nemora & vaſtos gemebundus peruolat agros
Nec mœſtus iam gaudet aquarum murmure turtur,
Solus at amiſſum luctu fouet æger amorem,
Talis cura habeat, nec ſit ſpes vlla ſalutis.
Tangite frigentem mea carmina tangite Thyrſin.
His nos de calamis noua munera fecimus illi:
Pignora rara animi quæ nunc tibi ſingula Tellus
Magna parens mando. prodent hæc pignora Thyr-
ſin.
Tangite frigentem mea carmina tangite Thyrſin.
Has plumas ſtrigis, hanc Luna naſcente rubetam,
Ipſe dedit Mopſus, magicis Luna optima ſacris.
His ego nictymenem fieri, & ſe condere luce
Mopſum, ſæpe ſacra deducere ſydera voce,
Inque retro fontes vidi conuertere lymphas.
Tangite frigentem mea carmina tangite Thyrſin,
Huc hederæ, huc lauri cineres. cygnóque volanti
Trans tua terga iace, at ne reſpice. Thyrſida durum
his
Thyrſida ego agredior. nihil ille hæc omnia curat.
Tangite frigentem mea carmina tangite Thyrſin.
Ecce Aegon, cinis ipſe Aegon altaria luſtrat,
Non vllo cogente Aegon cinis ipſe. bonum ſit.
Neſcio quid. coruúſque crocit de limine primo.
Fallimur? an ſua cuique ſatis veſana cupido eſt?
Parcite, namq; calet, iam parcite carmina, Thyrſis.

ECLOGA QVARTA.

Carolus.

HActenus obscuro carmen tenuastis in antro,
Surgite nunc faciles opera ad maiora Camœnæ.
Non iuuat vlterius domini testata furores
Fistula, quæ iunctis cecinit Syringa cicutis.
Non iuuat ad patulæ proiectum frigora fagi,
Formosæ placidos memorare Amryllidos ignes?
Securum salicis tenerâ dum fronde capella
Pascitur: aut humiles carpit de more myricas
Quis nouus insolito perstrinxit lumine cœlum
Fulgor: & egelidas sese inclinauit ad Arctos.
Vnde polum flammâ tactus propiore Bootes
„Circuit? & celeri sequitur sua plaustra rotatu?
„Anne aliud meus alta Deum parat, invia rerum,
Nota cui, atque eodem præsentia cuncta tenore?
Exere diuinis radijs caput, exere mundo
Os roseum, Arctoas promissum lumen in oras.
Te Themis, & triplici pernentes stamine fata,
Veridico stabiles meminerunt ore sorores,
Venturum in solium magni patris: aurea dudum
Sæcula qui positis Gradiui condidit armis.
Virgo tibi cœlo nuper delapsa sereno,

Regali

Regali dat sceptra manu.redimitaque frontem
Pax Cereris spicis,& munere Pallas oliuæ,
Mollia securæ promittunt tempora vitæ.
Te nuper decimi reuolubilis orbita Phœbi
Si nauit:tibi,falcifero cum patre,reliquit
Aurea formosi subeuntia secula mundi.
In patrios i surge animos, sate sanguine divum.
In spes cresce nouas,populique in publica vota.
Dum tamen ô tibi se formosa Britannia ad omne
Præparat officium,gemmis distincta capillos:
Auro intexta sinus:viridi & circundata peplo
Explicat annosæ rugas Iuuerna senectæ:
Interea cape magne puer munuscula veris:
Quæ facilis pleno tibi fundit copia cornu.
Inter & etrantes hederas, laurumque virentem,
Et bene dispositas,cum Palladis arbore,myrtus,
Prima sedens blandæ Florum da iura coronæ.
Certatim pulchris,violæque,rosæque decentes,
Crinibus inserpent.& suauè rubens Hyacinthus,
Narcissusque,& odor semper vernantis acanthi,
Substernentque tuis sese vaga lilia plantis.
Chloris odoratas capiti formosa corollas
Injiciet:regnique sui tibi tradet habenas.
Dona Pales,Satyrûmque iugis assueta iuventus,
Sylvanique hilares, & pexi cornua Panes,
Dona alio tibi ab orbe ferent,Silenus:& Euan:
Nec tua vel Faunis deerunt,vel munera Nymphis:
Quæ fontes,valleſue tenent:monteſue supremos.
Quicquid vbique nocens labes meruere priores,
Discedet terris.neque iam lethale draconis
Virus,& occultus anguis metuetur in herbis.
Ast vbi iam primo signabit flore iuuentus

Purpureas malas,& erit maturior ætas:
Tum diuersa nouis ridebunt mala figuris,
Caneſcet ſubitis campus Cerealis ariſtis.
Roſcidaque è durâ ſudabunt mella cupreſſu.
Pan tibi cum iunctis modubabile carmen auenis
Tradet.& Aonio deſcendens vertice Pæan,
Fila lyræ digitis imponet: & ipſe præibit:
Firmabitque manum,docilis tu cuncta ſequere.
Tum decor,& Suadela comes,iunctique lepores,
Treſque ab Acidalio properantes fonte puellæ,
Et ter tres cum matre alio de fonte puellæ, (eſt
Monſtrabunt quod cunq; decens,laudabile,honeſti
Inde,vbi cum plenis paulatim adoleuerit annis,
Fortior,& curis,ætas,matura paternis
Incola Iuuernæ,felicia culta venenis
Libera,nec diris vſquam reptata ceraſtis,
Et ſua ſecuri ſubmittent colla Britanni: (Thule,
Quà Thameſis, quàque arua Taus rigat. vltima
Orcades,& famulas aduoluent Hebrides vndas.
Quin Moſella tuis,cupietque accedere ſceptris
Qui rigat Hectoreos Ligeris pulcherrimus agros.
Nam neque veliferâ ſulcabit Nerea pinu
Nauita,vt extremis merces deportet ab Indis.
Pauperiemue gemens,alias migrabit in oras,
Incola natiuæ rerum te præſide terræ.
Nulla premet miſeros ſpes intercepta colonos.
Vlterius non raſtra,aut duri erit vſus aratri.
Sponte ſuâ nullo tellus cogente,Sabæi
Fundet ruris opes.& amomi munere felix
Luxuriabit ager,paſſimque armenta,gregeſque,
Ditibus in patris,nullo cuſtode ferentur.
Nam neque tum timidis lupus inſidiabitur agnis,

Nam

Nam neque dama canem fugiet: neq; cerua leænã,
Sed positis procul insidijs, dubioque timore,
Dulcia securæ transmittent otia vitæ,
O mihi si faciles producant stamina Parcæ:
Quâ liceat te, magne puer, tuaque inclyta facta
Dicere: tercentum referentem ex ordine patres!
Tunc ego, sublimi super ignea sidera versu,
Regna Iouis peterem, nec me Smyrneia Siren,
Carmineue Andinus dulci superaret Aedon.
Cresce igitur, fatisque in magna vocantibus, vltro
Offer habes quod cælorum indulgentior axis
Spondeat: & rerum noua quicquid speret origo.
Aspice enim, positâ rerum natura senectâ,
Sub duce te iuuenes rediuiua pacisci tur annos.
Aspice, non mutiens tenebrarum Hyperionis orbis,
Prodit: & insolitâ perlustrat lampade mundum.
Aspice, iam secura æris Titania Phœbe,
Auxilij, puris per cælum cornibus errat.
Ipsa nouant elementa vices. sic omnia late,
Omnia, succiduo prodeunt gaudia seclo.

ECLOGA QVINTA.

Vates.

Faunus, Pan, Satyri, Napeæ.

SI vacat, & gracilem non auersaris auenam,
Hæc quoque, Alexander, noſtrum teſtatur amorem
Fiſtula, quâ nuper viridis ſub tegmine fagi
Luſimus. aſſeruant inciſi carmina libri.
Heic te carminibus, vates celeberrime, noſtris,
Forte Hyale, aut Phyllis, dum præterit, omnia blandis
Luminibus luſtrabit, & ô, te terque quaterque
Fælicem, dicet, vates, quicunque fuiſti:
Talia cui nemorum conſeruant carmina diui!
Pergite Sicilides, Satyri, teneræq; Napeæ,
Forte inter corylos Faunum videre bicornem:
Et iam deſerto recubantem Pana Lycæo:
Spirantes placidos imo de pectore ſomnos.
Continuo invadunt. factiſque è vimine vinclis,
Hirſutoſque pedes, & fortia brachia nectunt.
Vt ſopor abſceſſit. Satyri, quid vincula Faunus,
Nectitis? exclamat. nodos exſoluite, Nymphæ,
Pan ait. & vinclo potius coeamus amoris:

Si

Si iuuat hoc.petimus non heic connubia, Nymphæ
Sed dulces choreas,& mollia carmina,reddunt.
Faunus ad hæc.dabimus petitis quæ dona,puellæ:
Carmina si quis amor cognoscere,carmina,habete.
Tum vero,è syluis,pecudesque,feraſque videres
Currere,tum volucres motis applaudere pennis
Nec mora promissis.Faunus sic incipit ore.
Subsequitur numeros,calamis Pan omnia reddens.
Nunc ô,nunc Satyri,nunc ô saltate Napeæ.
Quid iuvat incassum,Satyri,exercere laborem?
Non hoc alternis numeros distinguere plantis.
Tale capræ saliunt,prope stagna,aut ardua rupis.
„Gratia ineſt modicis,& amat mensura choreas.
Mollius,ô Satyri, sed fortius ite Napeæ.
Fallitis,& vanos animis nutritis amores.
„Lactabit spes ista suos. ne credite blandis
„Omnia luminibus.laudet licet ore modesto,
Diligit agrestes Nymphe non vlla choreas.
Mollius,ô Satyri,sed fortius ite Napeæ.
Quid cessatis adhuc? teneras age tollite plantas,
Cum Satyris conferte pedem.pudor omnis abesto.
„Quid choreas petitis,nisi si saltare paratæ?
„Ludite.sæpe hilares amat ipsa modestia vultus.
Mollius,ô Satyri,sed fortius ite Napeæ.
Ibitis inficias?sed durum est fallere diuos.
Forsitan,ô Nymphæ,quid sit nescitis amare:
Dissimulare tamen longo didicistis ab æuo.
Hos Erycina dolosdedit,haud ignara futuri.
Sic ô.sic Satyri,sic ô,saltate Napeæ.
Illa licet Getico cupiat concumbere diuo,
Abnegat,atque iras claudi,questusque mariti,
Narrat.at ille instans,dat basia rapta volenti:

„Et factis docet, haud dictis, orare puellas.
Sic ô, sic Satyri, sic ô saltate Napeæ.
Tollite sic paribus vestigia tollite, plantis.
Sic terram paribus dimissi tundite plantis.
„Concordes motus choreæ, pausalque requirunt.
„Omnia qui genuit, genuit Concordia Amorem.
Sic ô, sic Satyri, sic ô saltate Napeæ.
Nunc agite in numerum meliori ludite plantâ:
Carmina dum canimus, quæ nulli audita priorum,
Nostra Caledonios resonabit fistula vates.
Pastorum Musam dicemus adeste Camœnæ:
Et date perpetuæ rarissima nomina famæ.
Grampius erectos super aurea syderâ vultus
Proferat, effusa laxus decurrere ripâ.
Pulcher amet Blanus. Blanum celebrate frequentes
Pastorum turbæ. Blani quoque dicite alumnum:
Et date, &c.
Diuinum Corydona æternis ferte cicutis.
Ille dedit decus hoc pastorum, & nobile germen
Daphnida: qui cunctis pastoribus imperat vnus:
Quiq; Taum, Tamesimue bibit, vel flumina Baniæ
Hæc date &c.
Illius exemplo grex hæc pastoria creuit,
Vnde Caledonios attollit gloria campos.
Heu tamen, aduersis odijs raptate peristi,
Quid charum, Melibæe, caput? lugete Camœnæ:
Et date, &c.
Tene gregi Melibæe, gregem tibi, turbidus ille,
Turbidus eripuit, furijs Meliænus ad actus?
Non tamen effugiet vindictam numinis. ibit
Exul in externas, (hoc mens veri augurat.) oras.
Hæc quoque perpetuæ Musæ date nomina famæ

Te

Te quoq; Mopse cană, syluæ tibi carmen, & vmbræ
Altorum nemorum. cerasus tibi cingere crines,
Ecce amat, & fructu quamuis syluestris amaro
Prunus, at ipsa hederæ contendere digna corymbis
Hoc quoque perpetuæ Musæ date nomina famæ.
Tum quoque qui flammas pueri, qui spicula dicat
Flavus erit Thyrsis: qui versibus heroinas
Dum canit, incæptum damnabit Parca laborem,
Scilicet eximijs Lachesis sæua invidet ausis.
Hæc quoque perpetuæ Musæ date nomina famæ.
Iamque vocat Siculæ docilis successor avenæ
Agrius; agrestes quo non inflare cicutas
Doctior aſt illi pariter certare parabunt,
Hinc Bodotriacus Cardon, hinc Deuius Aedon.
Hæc quoque &c. (bo
Sed quid ego Glaphyrona, aut quorsũ Alcona tace-
Nempe illũ dominũ magni gregis. hũc breuis horti
Illum arcere lupos, aſt hunc producere doctum
Semina; quæ terræ agricolæ mandauerat vſus?
Hæc quoque, &c.
Iam mihi qui saxo pecudes seruabit ab alto,
Et bene constructis, Petras, mulcebit avenis,
Cernitur, hunc contra Bacchi tutela Simetas
Accubat, Alcanisque heres novus Aſtacus horti.
Hæc quoque, &c.
Nunc tu qui fortes animas, belloque peremptas,
Heroum, regumque canes, celebrabere Iola.
Nomine te referens, comes ibit vindice cannâ,
Pro Corydone ferox, Onopordi nobilis hostis.
Hæc quoque, &c.
Hos ingens animi, doctus cantare Themistor,
Immemor haud patriæ, Latijs licet hospes in oris.

Musarum assertor, dein carmine maior Anactus
Ibit: qui calamis cælum retonabit & astra.
Hæc quoque perpetuæ Musæ date nomina famæ.
At medicas vires, Phœbeo munere felix,
Herbarum species edoctus Cyllocus omnes
Cantabit, calamis quem deflens fata suorum
Chrysius, hac eâdem fælix quoque sorte sequetur.
Hæc qnoque perpetuæ Musæ date nomina famæ.
Qui tamen illi autem Daphnæâ fronde decori?
Pastorumne aliqui? certe neque pera, nec illis
Canna, pedumue aliquod: sed latos baltheus armos
Cingit: & auratis effulgent cingula bullis.
Hæc quoque perpetuæ Musæ date nomina famæ.
Nosco viros erit hic Tragico qui pulpita versu
Pulsabit, sublimè sonans, Menstræus Alexis.
Alter Teruati collis decus, vnica Musis
Cura, & Thespiadum fautor, Caplæus Amyntas.
Hæc quoque perpetuæ Musæ date nomina famæ
Illi pastores olim, nunc tegmine vili,
Desertisque casis, non inferiora sequuti,
Spinifer his Damon, Lycidasque amor: aptus vterq;
Phyllidis & fastus, & ferre Amaryllidis ignes.
Hæc quoque, &c.
Quo fugitis iuuenes? vobis si Grampia rura,
Desertulque Taus, tamen alto in pectore regnat
Dulcis amor patriæ. Non hunc tibi prata Viennæ
Blande sigon, pellatue Argon de corde Garumna.
Hæc quoque, &c.
Non tibi Parisidum colles, non turba Sophorum
Critto, potens Latias, Graiasue inflare cicutas.
Nec tibi qui domini non prospera fata sequutus
Colline, ignotis spectabere puluis in oris.

Hæc

Hæc quoque.&c.
Nec, si vel Donâ Donacus, Mosaque relicto,
Sequana te propter pecudes agat: aut tua Aite,
Fistula dulcè sonans Thamesis prope flumina cãtet
Vlla Caledoniæ venient obliuia syluæ.
Hæc quoque, &c.
Tu quoque venturis debebis nomina seclis
Ornite; docte sales, risusque, iocosque, cicutis
Edere nulla dies sortem Pyrrhona tacebit:
Defensor Corydon tuus hic; Onopordius hostis.
Hæc quoque perpetuæ Musæ date nomina famæ
Nec minus Andreijs Damætas non leue campis
Nomen erit, canet insidias hic Daphnidis vnum
In caput: ipse etiam te Grampius ore ciebit
Tytire: Donæâ carmen modulatus avenâ.
Hæc quoque,
Sic Faunus cecinit. sic Pan respondit avenis:
Sic Satyri saliere leues: mistæque Napeæ.
Vocibus, & choreis strepuit nemus omne propinquum.
Grataque finitimos tenuerunt sibila montes.

Finis Eclogarum Bucolicarum.

ECLOGAE PISCATORIAE.

Nobiliſſimo heroi, Alexãdro Setonio, Fermeloduni comiti, &c. Scotiæ Cancellario.

Ecloga prima.

Meliſæus.

PRima Caledoniæ placuerunt ſibila ſyluæ.
Et mea ruriculas cæperunt carmina Panas.
Vidimus ad corylos Dryadas duxiſſe choreas.
Vidimus in placidis ſaltantes Naiadas vndis
Littora nunc, ſcopulique vocant, atque inuia ſaxa.
Et ſola obſcuris habitans in rupibus Echo.
O mecum libeat Themidos diuine ſacerdos,
Setoni venerande, à magno maxime rege,
Hæc loca littoreis modo perreptare Camœnis?
Huc ades, & vili ſtructas de vimine naſſas,
Algoſos remos, & linea texta plagarum,
Cymbam, hamos, ſetas, & ſquamoſos calathiſcos,
„Reſpice in his aliqua eſt non iniucunda voluptas.
Certe ſub vitreis virides te Dorides vndis,
Te deus argutâ qui perſonat æquora conchâ,
Omnibus in ſcopulis reſonabit: & omnibus vndis,
Interea, quæ, Pictonici novus accola Ponti,
Carmina ad æquoreas cecini cape prima ſorores.

Iam

Iam procul vmbroſo iuvenis ſucceſſerat antro
Piſcator Meliſæus: & irrita murmura ſurdis
Quum fruſtra ſcopulis iactaſſet, & æquoris vndis:
Tandem ita ſollicito compellat Protea verſu.
O Proteu, liquidi numen maris, omnia poſtquam
Movimus, & ſurdis pulſauimus æquora votis:
Dexter ab vndoſo placidum caput exere ponto:
Noſtraque ne ſolito ſine currere carmina faro.
Fleuimus: & ſola eſt in noſtras dura querelas
Fors ſuperûm, ſola indigno non vlla dolori
Hactenus ingemuit. teſtor tua numina teſtor
Et pelagi Nymphas & quas Bodotria glaucus,
Quaſque. Taus pater, & vitreis Dona occulit antris
Quid me carminibus Triton contendere iuſſit
Piſcatori Helymo: quamuis grand ævus: & ille
Iactet fatidici diuina oracula Nerei?
quid mihi formoſis pelagi ſuccedere Nymphis
Voce fuit? noſtriſque ſonis delphinas iu vndis,
Atque incompoſitas phocas celebrare choreas? (cus
Quid mihi quod placido ſenior me lumine Glau-
Naſcentem adſpexit, tibique hæc noua retia dixit
Parue puer, tibi & has ſeruo de vimine naſſas?
Si tamen interea ſolis inglorius ævum (quor
His ago ſub ſcopulis: Meliadon dum diues, in æ-
Pinea nunc curuæ detrudit texta carinæ.
Portumnumq; in vota vocat regemque potentem
Marmoris. ille audax, longe meliora ſecutus:
Piſcatorum artes, & vilia pabula ſetæ,
Liquit: & ad ditem decurrit nauita Gangem.
At nos vix calathis vitam ſolamur, & hamis,
Heu miſeri, nos vix minimâ trabe littora circum
Quærimus octipedes cancros: vileſue paguros.

Et

Et modo ne noſtris deſit ſatis ampla querelis
Cauſa, iuuat diuûm crudelia numina, cuncta
Auferre: & miſerâ pereuntes cernere in algâ.
Nuper enim, (nec te Proteu neſcire putandum eſt
Talia) littoribus vi pellimur: æquora poſtquam
Accepere alios quam diuûm è ſemine, reges.
O Proteu, ſi qua innocuæ tibi cura iuventæ,
Cerne quibus merſer in æroribus. aut mihi piſcem,
Aut mihi da veſtris fieri delphina ſub vndis,
Heic ſubito. certè querulis non planctibus illi
Neptuni ſtagna alta onerant: ſed Nerea circum
In numerum lætas agitant de more choreas;
Squamea multifidæ quatientes verbera caudæ.
At mihi ſollicitis vix vnica libera curis
Hora fluit. grauis hinc Celadō, inde additus Arnus
Hinc Myrilus ruit. & ſaxo detrudere avito
Præcipitem tentat non vna fraude Copæus.
Quo fugiam infelix? quid agam? quid deinde relinquam?
„ At non perpetuo laxis mare fæuit habenis.
„ Sæpe Noto placidi ſuccedunt flabra Fauoni.
Cur me cunctorum ſequitur grauis ira deorum?
Et nunquam in dubijs fulget ſpes proſpera rebus?
Sit ſatis ô, primis paſſum mala tanta ſub annis;
Dum pater (ah) ſubito Dorylas prope littora fato
Concideret: Nereo qnamvis ſatis, & tibi Proteu
Gratus erat, dum vita fuit: veſterque ſacerdos
Audijt: & veſtras cecinit de littore laudes.
Sed nunc ille abijt, pelagique aut maxima laſſat
Numina carminibus: vel cum Tritone ſonoro
Perſonat arreptâ Pomonia marmora conchâ.
„ Nos fatis reliqui, miſeri, nos quod ſuper æui,

„ De-

„Degimus in curis: & luctiſonis lamentis.
Inque dies magis, inque dies, peiora coacti
Perpetimur. veluti qui intra iam retia piſcis
Claudirur, infelix per mille foramina dulci
Tentat abire fugâ: ſed dum tamen omnia tentat,
Ducitur: & viridi vitam deponit in herbâ.
Dura licet, tamen hæc aliquo noua vulnera vultu
Accipienda forent; ſed dum medicina dolorem
Vincere conatur; diuerſa in fata repoſcor
Perditus: atque aliâ ſequitur de cuſpide ſanguis.
Ah Proteu, quo ſupplicium tam triſte ſubire
Crimine commeruiſ ſtatuit quæ culpa nocentem?
Anne ego Neptuni tetigi delubra profano
Forte pede? an pelagi cecini conuitia Nymphis?
An tibi ſacratum phocas pecus, inſcius, inter
Scrupea ſaxa latens, indigno vulnere læſi?
ſcilicet vt chari Celadon poſt fata parentis,
Omnibus exueret propius? non ſanguinis vllus
Materni, fideiue memor, vix cymba relicta
Vna ſuper; brumæ quæ triſtia frigora pellat:
Diraque de noſtris abigat jeiunia menſis.
„Et tamen ille etiamnum inhiat nec deſe et hamos
„Nî prohibes, & adhuc credendum eſt ſanguine iunctis:
„Nec potius ſæuis ſub Ierno marmore ſaxis.
O numen pelagi, cui fas ventura videre;
Et modo quæ fuerât; tu nunc quis gurges aquarum
Circumſtet miſerum, tu ſcis quæ iam ingruat vnda:
Deuotam tibi, ſerua animam. nam flectere diuos
Tu prece, tu triſtes poteris auertere caſus.
Quod ſi aliter ſuperis viſum crudelibus; atque
Stant fata arcanis me contra legibus; ibo:

Ibo

Ibo volens, nostros hæc finiet vnda dolores.
Hæc iuuenis, fractusque animi deserta relinquens
Antra, videt sessum descendere in æquora Phœbum.

Ecloga Secunda.

Doryias.

Lycabas Stymichon.

SI vacat, huc Stimichon, namque heic leuis adstrepit vnda:
Heic Zephyrus placidis per saxa adremigat alis
Dulce quid hæc maris vnda, leui dum murmure frangit
Littora, dulce etiam Zephyri leuis aura susurrat.
Dulce quid & vestræ resonant modulamina Musæ.
Præmia Carpathio capies tibi proxima diuo.
Sti. Dulce quid Alcyonē memores audire querelas
Dulce quid è summis labentem rupibus vndam:
Quum vaga littoream depoſcunt flumina Tethyn.
Dulce magis vestras Lycaba diuine Camœnas.
Proxima ab æquoreo cedet tibi gloria Nereo.
Lyc. Visne per ô placidas, piscator, visne puellas
Doridos, hac ali quod carmen de rupe canamus,
Interea dum Sol medium coquit igneus orbem:
Et somnos sparsæ carpunt per littora phocæ?
Stim. Vmbra placet Lycaba, teneras fouet vmbra Camœnas.
Vmbra mihi grata est: sed tu mihi gratior vmbra es,
O tantum libeat, tantum hac tibi rupis in vmbrâ,
Dicere. ad hæc veniet curuus tibi littora delphin.

Spon-

Sponte ſimul noſtris piſcis pendebit ab hamis,
Lyc. Hoc igitur quod vicino tenuauimus antro,
Carmen habe Stimichon, Dorylæ quo triſtia fata
Fleuimus: & mæſtis lachrymas mãdauimus vmbris
Magnũ opus adgredior. certè neq; noſtra Camœna
Materiem, dignos nec adæquant carmina queſtus.
Sti. An mihi ſit tali gratum mage carmine munus
An mihi erat Dorylâ quiſquam ôlim gratior ipſo?
O Lycaba? ſi tale dabis peramabile carmen;
Iam iam ego cum vitreis credam me viuere diuis.
Quin age quin Lycaba, neq; enĩ fraudabere noſtris
Muneribus. tua nec Lethæa obliuia paſcent
Carmina: dum doctis conſtabit gloria Muſis.
Has refer, has triſtes Echo mihi mæſta querelas.
Hæc Lycabæ vox eſt, de littore Celurcano.
O vbi vos Nymphæ? qui vos tenuere puellæ
Dorides ôſcopuli? reflui quæ murmura ponti:
Quum Dorylæ triplices fecuerunt penſa ſorores?
Nam neq; tum Arctois placuerunt Orcades vndis,
Nec placidas gelido curæ ſpectare Nouanto
Hebridas, & veteris vicinum littus Iernes.
Has refer, has triſtes, &c.
Illum equidem Arctoi triſtis Balæna profundi
Fleuit. & obſcuris phocæ gemuiſtis in antris.
Has refer, has, &c.
Illius interitu delphin non luſit in vndis.
Polypus haud ſcopulis latuit. nõ Sargus in herbis.
Has refer, has, &c.
Illius æquoreæ gemuerunt fata volucres:
Fluctibus Alcyones. queruli de littore mergi.
Et fulica è ſcopulis. & Baſſi è rupibus anſer.
Has refer, has, &.

Certa-

Certauere Caledoniam subeuntia Tethyn
Flumina, conceptos animo proferre dolores:
Voce Taus, lachrymis Bodotria Glotta querelis.
Has refer, has, &c.
Venit Carpathio properans de gurgite Proteus:
Fatidicus Protens, quidque ô mihi carmina prosint
Præscia venturi: quid ait mihi carmina diui
Heu meus, heu patriâ Dorylas mihi raptus in algâ.
Has refer, has, &c.
Venit cærulei Glaucus novus incoli ponti:
Retia rupta ferens, carptumque Anthedone gramen
Et quia nunc Doryla non hæc tibi munera prosunt
At tuus his cunctos viuet Melisæus in annos.
Has refer, has, &c.
Venit Vergiuium solitus quicunque profundum
Strutari: & Deucaldonij vicina Nouanto
Marmora piscator, quisquis diuisa fluenta
Abrauani, Thamesisq; secat currente phaselo.
Omnibus vnus amor, dolor vnus, & vna querela.
Has refer, has.
O Doryla, ô divûm Doryla genus, aurea mystes
Nereos, & Protei semper Glaucique sacerdos,
Ten' placuisse dijs, & sic perijsse putandum est?
Credimus? an grauior tantum sopor alligat artus?
Et tua diuino solvuntur membra veterno?
Has refer, has, &c.
Tandem etiam tristi fædatus lumina fletu,
Infelix puer, (ah!) studio properabat inani:
Infelix Melisæus, at illi in fronte decorâ,
Quamvis solicitis rumpenti questibus auras,
Perstabat puerile decus, pone arctâ ruentem

Patris

Patris in amplexus, puer, & Cythærea secuti.
Has refer, has tristes Echo mihi mæsta querelas.
Sicne igitur Doryla, Doryla mihi vulnus acerbum,
Sicne igitur crudelè iaces, charissime nobis?
Tene igitur primis supero diuisus in annis?
Ah pater, ah pietas vbi quam narrare solebas,
Sæpe deum sunt dij? quod si, quo cura recessit?
Vsque adeo meritis non vlla est gratia nostris?
Has refer, has, &c.
Tene ergo exanimum genitor, ten' corpus inane
Aspicimus miseri? quo mellea gratia fandi
Hinc abijt? tune hic quem nos de littore nostro
Porricere in fluctus salientis viscera Thynni,
Vidimus: æquoreo modo dum facis annua regi?
Pande oculos me affare, aut dij si cuncta negatis,
Claudite mî hos oculos, hanc interrumpite vocem.
Siste age nunc tristes, echo nunc siste querelas.
Hæc puer & pietas longe his maiora parabat.
Sed lachrymæ tenuere modum cogente dolore.
Sic vbi dura silex liquidarum murmura aquarum
Accipit, & pelagi cana littora planctibus obstant,
Indignatur hyems nerei: saxoque resultans,
Aequora tota simul sub fluctibus increpat atris.
Irato reflui cadunt sub gurgite fratres.
Siste sed ô tristes echo, nunc siste querelas.
Stim. Quæ tibi nascenti primis diuine diebus,
Sternuit æquoreis felix Galatæa sub vndis?
Quod numen pelagi te possidet? ô mihi germen
Proteos ô magno dignissima carmina Nereo.
Nunc tu (nam tali quæ dona æqualia Musæ?)
Saltum aliquod nostri Lycaba cape pignus amoris.

Hæc ſunt è duris vix vulſa cor allia ſaxis.
Hæc ſunt Balthiaco ſudata electra profundo.

ECLOGA TERTIA.

Lycon.

Thelgon. Lycon.

NVnc vbi texta Lycon lento de vimine naſſa?
Aptaque captiuos vbi retia ducere piſces?
Lumbrici pingues, tenuis quo ceſſit arundo?
Fallaᶜ eſque hami? quorſum tibi nulla per æquor
Præda natans petitur? liquidi ſtrata ecce profundi
Terga iacent. ſaxoque ſalis vaga ludit imago.
Lyc. Ah Telgon. non iam naſſæ, non retia, nõ me
Dulcè iuuant tecti lumbricis pinguibus hami.
Iſte mihi quondam ſuavis labor: heic mihi Dorcas
Pulchra, Caledonijs Dorcas prælata puellis,
Quum comes ipſa operi foretet: modo retia noſtra
Rupta, reſarciret, modo mî cantaret in aurem,
Qualia vel Neptunus amet, vel carmina Tethis.
Aut dum finitimi iuuenis de margine ſaxi
Piſcator Mæliſæus adeſſet: & aut mihi faſtus
Præduræ Mycales caneret, vel ſomnia Lydæ:
Baſia vel Glyceræ: vel murmura grata Lycinnæ.
Meque (quod ah memini,) Glauco conferre ſoleret
Glauco Anthedonij qui nunc nouus incola ponti.
Te. Dî pelagi prohibete malũ precor omne ſed illud
Quicquid erit committe Lycon his auribus aptè.
Me quoque nam metus anticipat pero ſingula ſcire,
Vt poſſim ſocium tecum inde dolere dolorem.
Retia laſciuuſne aliquis ſub gurgite delphin
Rupit? an impacta eſt ſcopulis tua litoris alnus:
Et rimoſa bibit multum ſalis: vt tibi contus,
Luctatæque diu diffractæ in gurgite tonſæ?
Nam mihi neſcio quid querulı lachrymabile mergi,
Præteritis cecinere diebus, an humidus Auſter

Squam-

Squamigeram abſorpſit captã ſub marmore prædã
Cum famulis certè monachus mihi triſtia nuper
Signa dedit, vitreis viſus caput exerere vndis.
Anne tui oblita eſt, & te pulcherrima Dorcas
Negligit, amplexus crudelis, & eſcula vitans:
Et mutata, alios præ te ſuſpirat amores?
Ly. Nil horũ, ô Thelgon, namq; & mihi retia ſaluã
Remorumq; ordo cũ conto, atq; integra cymba eſt.
Nec mihi nymboſus Notus offuit, omnia Telgon
Tuta ſatis, ſolitúque fauet mihi blanda puella.
Sed mihi quid proſunt hæc omnia, ſi via noti
Aequoris interdicta: & non licet ire per altum:
Vndaq; habet dominos, quæ nõ modo nouerat vl-
lam mihi, iã ſocijs, hæc littora linquite nuper (los?
Finitimæ regnator aquæ dixit polybotes.
Quod ſi forte animus noſtras ſcrutarier vndas
Squamigeræ decimam prædæ perſoluite partem.
Ille quidem dixit ſed non ego credulus alto
De ſcopulo ſetâ piſces rimabar & hamo.
Neſcio quis Myrilus (fallor niſi nomen & illi)
Vidit: & admonuit dominũ: decimamque negatam
Ducit in opprobrium, naſſis viduamur, & hami,
Ah ſubito: & ſoliti prohibemur munere ponti.
Tum nos (quod cernis,) macieque fameque coacti,
Tendimus obſequio dextras: dominumq; rogamus
Parceret vt ſeruis miſeris: & crimina faſſis.
Ipſe quidem facilis: ſed non (dij mergite ponto
Infidum caput, vt deuotam piſcibus eſcam
Debeat: & nudâ iaceat deſertus arenâ!)
Acceſſit Myrilus. ſed magnam ſoluere mulctam
Nomine heri cogit. ſic dum vitauimus æſtus,
Vorticibus rapidis pelagi abſorbemur. & eccé
Dũ premit, & nos longũ inopes dura vrget ægeſtas
Omnia quæ ſuperant pro victu retia, & omne

Remigium, atq; ipſum cogemur vendere contum.

Tel. „Et quid adhuc tandem ſcelerum in faſti-
gia reſtat?
„Quo pietas neglecta, abijt? cæleſtia quiſquam
„Numina magna deum, credat mortalia iuſtis
„Ad ſpicere hæc oculis? ah iam, pietaſque, fideſque,
„Nomina ſunt tantum priſci candoris: at vltra
„Ludibria, & vacui territamenta popelli.
Tene etiam deflende Lycon, tam læua tulerunt
ſæcula? debueras alio tu ſydere naſci.
Et tamen hæc, longâ fatorum ambage canentem
Protea, qui turpes paſcit ſub gurgite phocas,
Audieram: ſcopulos quondam prope Dunceldinos,
Ille maris tunc imperio diſcedere Nerea,
Doridaque, & natas, & ceruleam Amphitritem,
Glaucumque, & cum matre Palæmona, quique
ſonantem,
Inſpirare ſolet concham Tritona canorum,
Admonuit: dominoſque alios ea regna manere,
Qui neque fas, neque iura velint, neq; parcere parto
ſed vexare inopes. ſed ſolis cogere victum
Quærere pauperibus ſetis. quæſitaqe longis,
Et duris nimium pelagi ſuper æquora curis,
Abripere & famuli ventri donare ſuperbi.
Hæc Proteus; & plura olim dum panderet, ipſe
Retia ſiccabam ſolus. multumque verebar
Ne Deus adſpiceret me poſt ſua ſaxa latentem.
Ex illo, tacitus mecum rimabar: ad illa
Quoſnam ſceptra vocet fatorum arcana poteſtas.
Mirabarque etiam: ſed non ea prodere tutum
Rebar: & arcanum ſuperum vulgare deorum.
„Omnia nunc manifeſta patent. fors omnia verſat

„Heu

„Heu nimis. & Nemesis sequitur iam clauda nocẽtes.

Lyc. Ne tamen hanc rerum faciem crede omnibus vnam.
Nos miserum vulgus premimur, sed maxima Tolbas
Et Dromas, atq; Aegon piscantum nomina, nostra
Hæc siccis oculis spectant mala: scilicet illis
Et cymba, & curui superant cum retibus hami.

Tel. Longa Lycon lachrymis fieret mora, singula si quis
Damna miser fleret. non hoc quod cernimus, omne
Sufficeret iustis lachrymis mare. maxima vitæ
Pars nostræ in luctu, velut vnda superuenit vndæ:
Seque eadẽ sequitur, refugitque reciprocra: Tethis
Sic mala morborum pestis, tristisque senectus,
Pauperiesque, fameque, ingrataque nomiua curæ
„Occurrunt sine fine sibi. sed crastina forsan
„Præteritis meliora dies feret. omnia cerne,
Instabile est quodcunq; vides quin affore tempus
Credimus, ad cursus venient quum cuncta priores.
Nunc, quoniam fuscis nox aduolat humida pennis,
Præcipitesque in aquas currus dimittit Iberas
Phœbus; in hanc mecum (namq; est via proxima) villam
Tende simul gressus sunt nobis passer, & halex,
Diuersisque salar variatus tergora guttis,
Gobioque, & Salmo: de quo, noua munera nuper
Sargon gemmiferis Donæ mihi misit ab vndis.
Præterea duo, custodes mihi, dolia, vini.
Quâ, modo pro captis in gurgite Crelliano,
Balcomi ad scopulos, mercede, halecibus auctus;
Lætus in haud vacuâ remeaui nauitâ cymbâ:

Ecloga quarta.

Thaumaſta.

Olpis, Eurybaton.

FOrte ſuper celſi ſedere crepidine ſaxi,
Olpis,& Eurybaton.hic retibus,vtilis hamis
Alter: at æqualem tangebat vterque ſenectam:
Illi igitur, primæ recolentes fata iuuentæ,
Singula dum memorant;& garrulitate ſenili
Tempora conſumunt:quem traxit arundine piſcē
Proijcit in calathos,cæpitque ita fatier Olpis.
*Olp.*An ſubit Eurybaton, (quidenim memorare iuventæ
„Cũcta iuuat? lapſos quid inanes quærimus annos
Quod tibi diuerſo veniens de litore Telgon
Narrat it?mirandum equidem.ſed pigra ſenectus,
Obſedit glacie memoris mihi mentis acumen.
Nec poſſum meminiſſe. velis prodeſſe duobus.
Sic magis in cæptum fallemus amice laborem.
*Eur.*Nos eadē ætæ ſimiles,& ijſdem legibus anni,
Nos vicina domus,nos mutua pectora iungunt.
Diſplicieatne igitur mihi, quod tibi cunque placebit,
„Olpi?animus veris non eſt diuerſus amicis.
Accipe nec memini tamen omnia.patria ſaltem
Hæſerunt animo,fuit hæc audiſſe voluptas.
Vnde prius?lazulumne canari nigrumue Gagatem
An dites auro glebas, ſtannique metallis?
An referam Parijs certantia marmora cruſtis?

An

Aut cueîs diuitijs Taus admirabilis exſtet?
Donaque gémiteras voluens ſub gurgite conchas?
Mira quidem res eſt, vt ſolo rore, beata
Margaris, innocuæ ſuſtentet tempora vitæ.
Vt (veluti regem per florea prata ſequuntur
Mellificæ volucres, paſtumque in caſtra reducunt,)
Gemmea turba ducem vitreis comitetur in vndis:
Agminibus diuiſa. & fraudem Caſtoris æquet,
ſentit vbi eſſe dolos à piſcatoribus vllos.
Namque ſuæ ſubito lucentia munera gemmæ
Exſpuit: & concham piſcanti linquit inanem.
At mage forte tuam trahet admiratio mentem,
Putrida ſi videas natitantia gurgite ligna:
Vnde tamen primo vermis genus: inde renatus
Euolet aſſumptis ales mirabilis alis.
Quid tibi, quos ſtillet lapides Slaneſius imber.
Expediam? fluit vnda, cadit lapis. vndane dura eſt?
An lapis hic mollis? an neutrum, & vtrumq; videtur?
ſed quæ Lomundi medio natat inſula fluctu.
Nec ventis agitata, incertis ſi dibus errat,
(Abſque etenim Boreâ furit, atque iraſcitur vnda.)
Hanc terram eſſe putas? hanc aera credis? an vndã?
Non vnda eſt. non eſt aer, non terra videtur.
Verũ aut terra equidẽ eſt. aerue aut humor aquai.
Humor aquæ ſiccus, grauis aer, terra leuiſque eſt.
Quid tibi Salmonum fluvijs errantia puris
Agmina, quid varias hinc piſcatoribus artes,
Qualis amor, quiſnã in Venerẽ modus æquora quare
Salſa fugent, ſubeantque aduerſis flumina pinnis,
Enarrem? quibus aut nudos per litora piſces,
Noctibus, egreſſi iuvenes, miſtæque puellæ
Donicolæ captent? certè nec retibus illis

Est opus; aut hamis plenis it corbibus omnis,
Turba domum, atque aliquis, quos non modo sen-
serat, ignes
Invenit. Idaliamque fouens sub pectore flammam,
Fert prædam æquoream: æquoreæ fit præda Dio-
næ.
Sic quoque Balcomi scopulos, & Crollia propter
Litora, sponte suâ liquidis exultat in vndis,
Quum sol ætherei superauit brachia Cancri,
Inter squamigeras halex pulcherrima turbas,
Ostrea sed nondum Baianis æmula, dixi,
Quoue Caledonijs canit piscator in vndis,
Conchatam vocet in fatalia retia prædam.
Sed neque duratum Thules in gurgite Asellum,
Vnde Ceres populis tenuisque obsonia mensæ:
Sed neque Phocarum, nec corpora Balænarum,
Quique Lelalonijs sine pinnis errat in vndis
Pisces, non rapidi Spteæ, non flumina Nessi,
Exposui nam longa foret mora, singula si iam
Percensere velim, nunc corbis pondera tolle:
Fauit enim Glaucus, cuum primum affulserit eos
Cras ades: & scopulo mecum conside sub isto.
Forsitan, ipse etiam has Telgon scrutabitur vndas.

Ecloga

ECLOGA QVINTA.

Stimichon.

LIttora Pictonidum, muſcoſaque liquerat antra
Piſcator Stimichon; patriæq; incenſus amore,
Rurſus ad optatas Thameſæi fluminis oras
Venerat. heic poſitis hamis, & arundine, & eſcâ,
Forte in gramineæ decliui margine ripæ
Dum ſedet, & veteres curas, elapſaque voluit
Tempora dura animo, deſertum littus, & vndas
Triſte tuens, gemuit: lachrymarumq; imbre ſoluto
Soluit ita ora nouis indignabunda querelis.
Vos, ô qui vitreis æternum habitatis in vndis,
Ceruli Tritones, & ô nunc numen aquarum
Glauce parens, Phorcique genus, vos Dorides vdæ,
Has audite preces, iterum nunc ſurda querelis
Saxa meis, iterum crudeles alloquor vndas.
Tu tamen ante alios, tumidarum rector aquarum,
Cui pelagi conſurgit honos: quem ille ſequutæ
Hinc atque hinc Nymphæ, pelago glomerantur ab imo:
Seu tu, nunc veteris ptopter plangentia Iernes
Littora, ſeu Deucaldonij vicina Nouanto
Marmora, Vergiuio latitas ſeu forte profundo,
Seu magis Orcadibus libuit Rutupina relictis
Iam freta, & obiectos Batauis inuiſere fluctus:
Hos, Nereu, gemitus, has hauri die querelas.
Accede his lachrymis, quid me crudelibus actum

Tantum

Tantum odijs, extrema pati nunc denique spectas?
Et tamen auxilij dextrram mihi tollis amicam?
Nauita qui fueram, Diuosque in vota vocabam
Oebalios, nunc infælix piscator, ad hamos,
Retiaque, & viles captis cum piscibus escas,
Rursus agor. neque enim sterit hîc extrema malorũ
Meta. sed æquoreo vixdum solemnia Glauco
Vota pius tuleram, vixdum stata prima ferebam
Sacra Deo, cymbam Myrilus, sinuosaque avarus
Linтea, remorumque duos, contumque relictum
Arripit: & notâ miserum detrudit arenâ.
Tum me confectum curis, somnoque carentem,
Inter scupea saxa, interque obscura latentem
Antra, fugans toto lucentia sydera cœlo,
Phosphorus, & toto mandans procedere cœlo,
Tres longas noctes, tres longas ordine luces,
Hesperus adspexit, tantus dolor ossibus hæsit.
Iamque nihil, tenues præter cum rctibus hamos,
Vitarat rapidi dextram prædonis avaram.
Arripio, inuisasque oras, infaustaque linquens
Littora, deuoui diris vltricibus omnia.
Inde ignotus, egens, pendentia laxa peragro:
Celurcã, & patriã linquẽs, necdũ immemor hamus
Defuit officio. nec retia vana iacebant.
Sæpe etenim posito scrutabar corbe profundum.
Finitimisque locis errans, grauis ære redibam.
Atque ego sic calathis vitam solabar, & hamis:
A patriâ laribusque procul. me corniger Humber,
Me quoque Saxonidum Tamesis regnator aquarũ
Errantem vidit, sua pinguia culta secantem
Me procul, inque alio me Sequana maximus orbe,
Adspexit: Ligerisque simul pl[illegible]issimus amnis.

Tum

Tum me prata ſecans leni cum murmure Clanus,
Ad ſeſe vocat: & quæ proxima piſcibus apta
Littora commonſtran, pelagi deduxit ad oras.
Hic tandem exeſi, ſinuoſo in fornice ſaxi
Conſedi, pelagique iras, Boreæque furores,
Deſpiciens: fælix illa mihi ſorte videbar.
Cum ſubito, inviſi venas contagio morbi
Inficit, & latè ſerpens per tabida membra,
Flamma furit: macies pallentia detinet ora.
Non requies, non grata Ceres, ſitis arida fauces
Sola tenet. varijs ludunt ſimulachra figuris:
Obuerſantque oculis: mentemque in deuia rerum
Sæpe trahunt. & iam reuocandæ exciſa ſalutis
Spes erat. ante oculos Parcæque, & cura ſepulchri.
Quum me forte ſenex (nam proxima curua tenebat
Littora,) præteriens, curâ ſolatus amicâ,
Ipſe manu medicâ, Phœbique potentibus herbis,
Nititur illapſam membris evincere peſtem.
Nec fruſtra fuit auxilium: mihi cura Myconis
Profuit & membris ſenſim primus vigor auctus.
Ore color redijt, ſubijt tum dulcis imago.
Antiquæ patriæ: deſertaque ſaxa cupita.
Rurſus at, vt memori mecum omnia mẽte reuoluo,
Vota animi damno: & votis contrarius inſto:
Atque iterum pudet execratas viſere terras.
„Sic dubiam in diuerſa vocant amor, iraque mentẽ
Quid faciam? quoquo vertam veſtigia, ſiue
Pictonas ad ſcopulos ſedeam, ſeu Ferguſis ora
Te viſam, me dura premit, meque arctat egeſtas.
Squamiger at veluti, ſolo ſub gurgite vitam
Piſcis agit vitreo: valles faſtidit, & vmbras
Altorum nemorum, neque enim viridantia Tempe

Tantum

Tantum animos, pelagi quantum tenet æquor a-
marum:
Antraue tuta metu: scopolisue impeuia saxa,
Heic amor, heic illi choreæ, dulcesque Hyminæi,
Heic domus, heic patria est, his si vel turbidus Eurus
Infestumue aliud pelagi pecus egerit almis
Sedibus, aut merito cunctis odiosior hamus:
Multâ diu secum peregrinâ stratus in herbâ
Meret: & heu dulces moriens reminiscitur vndas.
Sic patriæ nostris, Nereu, se semper imago
Multum offert oculis, non illam cura, nec illam
Blanda quies animo, non omnia gaudia pellent,
Ergo iter optatum remeo; & Thamesia lætus
Ostia succedens, fælicia rura saluto
Saxonidum. heic iterum membris ferus incubat ar-
dor:
Meque premit, solitoque furit crudelior ossa:
Et sensim penitas intrat malesana medullas:
Tristè ruens, flammæque acuens incendia flammis.
Cynthia bis latuit, pleno bis orbe recreuit,
Quum vitæ spes facta inopi. nec dum integra cessit
Flamma tamen: totus nondum deserbuit æstus.
Reliquiæ superant. flãmamque ignemque lacessunt
Semper adhuc. cuius miserum grauis ira premendo
Numinis in sequitur? mihi quæ sors addita dira?
Quin ô, quin liceat crudelem abrumpere vitam:
Et potius, de corporeis exsoluere claustris
Eluctantem animam. quid in vlteriora superstо?
„Viuere quum nequeam cur vitæ munera poscam
„Alachesi? desueta manus, nec iam vtilis arti,
A setis refugit. nec captat arundine piscem.
Non ea membrorum vis est, quæ retia tractet

Humid,

Humida, ſquamigeram quæ terræ aduertere prædã
Poſſit. ita infelix, curis, morboque famique,
Quæ cunctis grauior curis, morbiſque reluctor.
Iamque nihil, niſi vox, niſi corporis vmbra prioris,
O Nereu, ſupero; quo pulchrior ante, nec vndas
Serutatus: nec dum melior fortuna, profundum
Tentauit: pelagique deos in vota vocauit.
Noui ego qui medijs piſces voluantur in vndis.
Littora qui, qui ſaxa colant. queis flumina grata.
Queis lacuum dulces ſcatebræ. pigræue paludes.
Stagna quibus. noui (ſed quo tibi cuncta ſcienti?)
Qui paſcantur aquis, qui muſco, vermibus, herbis,
Stercore, carne, luto. qui terræ turpia ſolum
Excrementa vorent. qui flauis ventris arenis
Exſaturare famem, aut raptis radicibus optent.
Carmina quid dicam? novit vicinia vatem.
His iam fama mihi, nomenque, decuſque perenne
Spondet. nam primos iuueni conceſſit honores
Ipſe volans Meladon. Meladon, conceſſerat omnis
Cui modo cantando Iuvenũ manus. equora teſtor
Et qui voce replet ſub vtroque iacentia Phœbo
Littora, quũ conchâ inſonuit ſemel æquore in alto,
Ceruleus Triton. quin & tu, maxime, quondam
Laudaſti vatem, Nereu, ſi cuncta recordor.
Nec mihi adhuc gelidus circum præcordia ſanguis
Tantus hebet, veteriſque exceſſit gloria facti:
Vt non dulce aliquod, placidumq;, & amabile poſ-
ſim
Forſan adhuc tenuare melos. tantum, ô bone Nereu,
Pelle famem, & maleſuada meis ieiunia menſis.
Tunc ego ſepoſitus, curis à triſtibus ævum.
Exigerem procul, & curua me rupe recondens,

Aut

Aut scopulo; Glauci primus, Phorcique sacerdos,
Oceani neptes, & natas Tethyos vdæ,
Doridas, & reliquas vitreo sub marmore Nymphas
Teque adeo imprimis, Nereu, regnator aquarum.
Te veniente die, te decedente sonarem
Littora non aurata prius, non castus amabit
Cantharus, aut multâ viuens cum coniuge fargus;
Non qui piscantum fraudes melanurus, & artes
Callidus eludit, vel nigri coporis vmbra;
Vel chromis, aut niueo, rubroque colore synagris,
Saxa prius reflui fugiet scarus incola ponti:
Turdorumque genus: denso quique agmine Iulis
Piscantum pedibus, manibusque infestus adheret,
Channaque qui de se prolem sibi concipit, & qui
Anthias à tergo non visis vtitur armis:
Quam tua tum è nostris migraret cura medullis.
Non iam magna, (alijs namq; invidiosa relinquo)
Sed vitam precor, atque famem te deprecor vnam.
Hæc concede inopi, miseros seruare deorum est,
Eripe me his, ô magne, malis: aut littore ab alto,
Aut scopuli speculâ, pelagi demerge sub vndas.

Eclog. Piscat. Finis.

ECLOGAE NAVTICAE.

Nobiliſſimo Thomæ Hammiltonio Melroſio Comiti, ſupremi ſenatus in Scotia, principi, &c.

Eclogaprima.

Amyntas.

NVnc mea, nunc Zephyro ſinuantur vela ſecundo.
Nunc puppis depoſcit iter. maioribus auſis
Ingredior, Batauo patefactum remige marmor.
Hunc mihi da facilem pelagi dea glauca laborem.
Et vos ſub patrijs virides Nereides vndis.
Eſte ſimul faciles. Tuque ô quem mellea Peitho
Mulcet, Hamiltoni, cuius ſub pectore puro
Lapſa Themis certam delegit ab æthereſedem;
Dexter ad hæc, noſtræ venias, Cynoſura, carinæ.
Non ego te Oleniæ ſydus pluviale capellæ
Auſpice, laxatos metuam non carcere fratres:
Quos Aſtræa parens partu eſt enixa Typhoeo.
Scilicet, & dubias prece tu mulcere procellas,
Et potes horriſoni componere flamina cori:
Aequore terreno, doctus ſulcare profundum:
Aeoliaſque animas regali auertere puppi.
Adſis. Nam neque me fagi tam nobilis vmbra,
Aut viui fontes, aut lapſi è collibus amnes,

Aut

Aut calamos inflare leues, dum fronde sub altâ
Omne pecus pastas procumbens ruminat herbas;
Quam pelagi Boreæque minas, Eurique, notique,
Nautarumque iuvat certantum audire celeuma.
Dicite nunc pelagi pia numina Chloridis ignes.
Dicite. namque & vos, gemitus, tristesque querelas
Audistis; lachrymasque etiam vidistis amantis;
Illa mali impatiens, exæsi in margine saxi
Dum sedet; & vacuas pelagi prospectat in oras:
Incusansque deos omnes, Boreamque frementem:
Plena per obscurum dum fulget Cynthia pontum,
Crudeles animæ, raptæ dolor Orythyiæ
Quas ferus ægelidâ Boreas emisit ab Arcto,
Quando eritis faciles? quando in mea vota secundæ
Occiduum nullâ pelagus crispabitis aurâ?
Certe me dolor vrit, (& hic dolor vrit amantes)
Littora quum video: portumque, domumque relictam:
Quam quondâ mea fax subijt, meus ignis Amyclas:
Vota pius pelagi domino dum soluit, ab Indo
Littore, quod patrias remeasset sospes in oras.
Tum mihi parua licet, felix Celurca videri
Parua tamen potera: & eras hoc tempo fælix.
Nunc quoq; adhuc fælix, si non sua carbasa ventis
Pandit; & ascensa pelagi secat alta carinâ.
Omen abes precor omne mali. quid inanibus horis
Tempora consumo? quid tristia somnia fingo?
Non ita Tyndarides gemini, quorum rate currit
Ille meus, cupiant. non sic Galatæa ministret
Læua vias. nec sic cano sub gurgite nudæ
Dorides objiciant, aut Oceanitides vdæ,
Durum iter, aut tantæ committere vela procellæ

Præ-

„Præcipitem patiantur. amet meus ardor Amyclas
„Promissique tenax, meuat violare tenorem.
„Constantem fidei: sed dum tamen ipse saluti
„Posthabeat flammasque meas: pactique tenorem.
O ego non tanti, quam propter adire pericla,
Damnatosque velit pelagi perferre labores.
O pacto sit nulla fides prius: illius aurę
Verba ferant: & vela: mihi modo sint mea salua
Gaudia, lætitiæ, spes: & syncera voluptas:
Nec tentet pelagus, dum non fas, noster Amyclas.
Dure precor Borea facilis mea vota secunda.
Lenior adspira: nec Hyperboreo reboatu
Stringe latus pelagi crepitantibus vndique flabris.
In me, si nescis, non hæc ferus æquora sæuis,
Paulum istas pone oro iras: Zephyroque tepenti
Aereas concede vias, tua flabra resume,
Post reditum iuvenis: qui nunc Atlantidos vndæ,
Littora forte legit; portumue ingressus opimum
Hesperidum subit: aut Vectin tenet: o mea si quis
Dicta probet superi! sed quid furis inuide: quorsum
Exerces ferale odium: te poplite flexo
Suppliciter veneramur. Amor deprimere voces,
Iraque timor subigit. faueas fortissime fratrum
O Borea: nec sic crudelia cuncta minare.
Tu quoque (sic fama est) aliquod de virgine rapta,
Nomen habes. & te flexit Pandione nata:
Me meus ardor agit. non ille amet oro, sed opto
Ne qui amat intereat: dumque vni forte nocere
Festinas, simul incipias nocuisse duobus.
Dure precor Borea facilis mea vota secunda.
Non ego sum quam te posthac iuuisse pigebit.
Nam tibi dona feram, gemmasque oriente petitas.
Et Madagascarium piper. & de littore conchas

sinarum nuciſque Indæ tornatile poelum.
Quid mea verba negas duras demittere in auras,
Quid fugis irato ſimilis? quid murmure rauco
Incumbens furiale mari, caneſcere fluctus
Cogis: & excuſſis conſcendere ſydera frænis?
Nunc veluti turbare Chaos: noctiſque ſilentis
Imperia: & furuas Erebi deſcendere ad vmbras?
Si te nulla meæ tangit pietatis imago,
Quin tecura tui ſubeat: ne cautibus alas
Attere, ne Borea tumidas age perde procellas.
„Sat furijs, iræque datum, miſerere malorum
Tantorum, miſerere inſani ſectoris æſtus.
Dure iterum Borea facilis mea vota ſecunda.
Quis ferus ille puer? quam ſæua incendia miſcet
Qui face non ſolitâ noſtros fouet vſque furores?
Quis ferus ille puer? quam cunctas improbus odit
Ille moras? requiemque negat? multoque timore
Corda onerat ſuſpenſa? ah in contraria ducit
Suſpicio ambiguam. Iam bis ſex ſydera zonæ
Aſtriferæ, ter quinque nouato Cynthia curſu
Compleuit vicibus: decimum niſi fallor ad orbem
Promiſit reditus quum puppim aſcendit Amyclas.
Dic mihi crudelis Borea quibus orbis in oris
Detineas. Iauæne tenent? portune recepit
Taprobana? an ſparſæ per cærula regna Molucæ?
Channariæne ſinum prætentat, vbi vltima nauis
Meta fuit quondam: vitreâ quum in pixide nondū
Lilia monſtrarent Boream, aut magnete repertâ
Ferrea tacta acus adſpiceret Cynoſurida caudam.
Matua num noſtri ſentit quoque vulnera? & illic
Suſpirat tacite noſtros quandoq; furores? (omnia,
Quicquid id eſt, me turbat amor, mora me enecat

Triſta.

Tristiaque ambiguam terrent insomnia mentem.
Hæc Borea, & nostros tecum rape in aera questus.
Quandoquidem, non ire licet quo me mea ducit
Mens vaga, quo curæ anxipites, præcepsque cupido,
Abripiunt, hæc tu nostro monstrabis Amyclæ,
Et mea, ceu scriptis, ostendes vota, tabellis.
Hactenus aerij speculâ de montis, ad auras
Multa queri Chloris, donec discedere cælo
Phosphorus admonitus, currus procedere vidit,
Purpureæ Auroræ, sese leuat, atque abeundo
Respicit irati tergum maris, inque querelas,
Itq; iterum lachrymas. sed lux properantibus horis
Festinare monet redimus, mæstissima pergit,
Dumq; abit, humidulis lachrymas exsiccat ocellis,

Ecloga secunda.

Typhis.

Emporius, Aegialeus.

QVo te agis Aegialeu? tecum comes en ego in vrbem
Si placet. anne illuc tua te vestigia ducunt?
Aeg. Tempestiuus ades, sed non iam mî Empore in vrbem
Est iter. hos hortos propter requiescere in vmbrâ
Nam paro, quâ crebris scopulus pulsatus ab vndis
Tollitur & Tajos longo videt ordine portus.
Emp. Iste mihi locus iste placet subeamus, & vnâ
Dum cæli medium scandit sol igneus orbem,

Torridaque ætherei iam tangit brachia Cancri,
Grata sub hac veteri captemus frigora pinu.

Aeg. Empore dum vacat, (& locus invitare videtur,
Quandoquidem & castas nemorum iuuat vmbra Camœnas,
Incipe si quid habes. Nam te dixere poetam
Nautilus, & nostræ moderator puppis Alethes.
Siue Magellanis laudes, seu prælia Gammæ,
Vesputijue animos, vel habes ausa alta Columbi,
Incipe, nam nostras tenet anchora firma carinas.

Emp. Immo hæc Eoos nuper quæ lusit ad Indos
Fistula, quam stupuit summo æmulus æquore Triton
Experiar. quanquam Aegialeu tibi fistula nostra
Tantum concedit, quantum vel cymba carinæ
Parua, vel Argolicæ Orion, aut Pleias vrsæ.

Aeg. Sed tu hæc define quæso. haud me sic lumine dextro
Adspicit Aoniæ rupis Deus: ilicet omnes
Nautilus olim Arabi fauces dum tentat Adeni,
In freta proieci calamos: stridere pararent
Quum mihi rusticulo quid nescio, sic mala ponus
Carmina habet, Musasque, & nostras Empore canas.
Ex illo non vlla meis admota labellis
Fistula, sed tu cui potiori arridet Apollo,
Sume prior calamos, nos post te nostra canemus.

Emp. Quis fuit inuentâ secum qui naue profundum?
Et posuit summo crepitantia suppara malo?
Quis velorum alas Zephyri sinuauit ad auras?
Ausus inexpertis animam committere ventis

Et terræ extremos, & Ponti quærere fines?
Maximus ille animi; certe quicunque bonorum,
Illius æternas referet mea fistula laudes.
Illum Musa canet, donec sol surget ab Indo
Littore, & occiduis fessum se abscondet in vndis.
Illius & rerum debet prudentia curæ.
Illi religio totum prope missa per orbem.
„Illi etiam clarâ præsignis adorea lauru.
„Illi celsus honor, illi labor indefessus.
„Diuiti æque, & amiciti æ, depulsaque terris
Horrida barbaries. Seu tu olim Typhi fuisti
Per freta qui primus venturam in sydera puppim
Ducere, & ausus eras dare vela vocantibus Euris:
Seu tu Tharsæi pelagi vetus accola Sidon:
Quisquis eras, nobis certe Deus, annua thura,
Et tibi solennes læti instaurabimus aras:
Nec tibi Portumnus certauerit, aut tibi Proteus.
Nec tibi Nympharum pulcherrima Nereidarum.
Te secum imperij consortem rector aquarum,
Te patris Oceani blanda indulgentia dicet.
Adsis ô, nostrisque ausis regnator aquarum
Communis faueas: nec nostræ naufraga puppi,
Nec sine vt Euboicæ cautes, cæcusue Caphareus,
Aut Maleæ noceat sinus, aut metuẽda Charybdis:
Aequoraue agrestum Casarum; quâ plurima pinus
Debuit Aeolijs ludibria dura procellis.

Aeg. Dulce tuum carmen nobis ô dîe poeta,
Quale ad remigium multum fallacis Vlyssei,
Cantarunt medijs formosæ Acheloides vndis.
Quale olim audiuit dum vexit Ariona Delphin;
Pone secans bifidâ spumantia marmora candâ:
Quale olim Mynijs mouit Rhodopeius Orpheus;

Quum procerum nudis sedit manus vndiq; transtris
Tale canis. sed tu quæ nos quoq; lusimus olim,
Dum melior fortuna fuit; Musæque fauentes:
Carmina nunc habeas. Typhin mea carmina Typhin
Namq; ferent: superosque inter super astra locabunt.

Emp. Quin age. nam neque me venientis sibilus Euri;
Dum tenet alta ratis, nec saxa latentia dextrum
Iu latus, aut læuum incautos deflectere cogunt,
Nec tam me Eoo dispersas æquore Sindas,
Taprobanamue iuuat, vel dites cernere Ianas:
Non Chrysen: nec odoriferas de puppe Moluccas:
Quum spes læta mouet, vel Serica quærere fila,
Aut stactam; aut refluo radiantes littore gemmas.

Aeg. Typhis ab æthereo nautas despectat Olympo
Candidus: Oebalioque Deos rogat esse fauentes,
Typhis adest votis. pinumque vocantibus Euris
Dirigit: aut Zephyris impellit vela secundis.
Ergo alacres nautas, Neptuniaque arua voluptas,
Doridaque, & natas teneat: Nereique puellas.
Non Hædi, pluviæue Hyades, nec aquosus Orion,
Non Helenæ infaustum sydus quum sola videtur,
Non Notus, aut Boreas nunc est metuendus: ab Euro
Non timor, in siccis rabiem deponet arenis.
Quare illum merito grati celebremus honore.
Fumumque piper, stacte æque, & thuris odores
Certatim super hæc altaria sacra feramus.
Tum Bacchi imprimis cincti tempora sertis,
Ante focum, hybernam si fundat Aquarius vrnam,
In puppi, si ver placidum pecus afferet Helles,
Pocula ter nouies læti vacuabimus: & te

Prime

Prime maris domitor, pubisque ô rector Achiuæ,
Typhi pater, multo tollemus ad æthera cannu.
Hæc tibi perpetuo current stata sacra quotannis:
Et quum vere nouo puppim soluemus Alecti
Littore: & Eoo figet quum se anchora portu.
Em. Carmina quo Aegialeu tua prosequar aurea
don o?
Nam neque me tantum Panopen audire canentem
Delitias animi nostri iuuat; illa deabus
Quamlibet æquoreis tenero de guttere promat
Par aliquid: nec me frati fera murmura ponti
Molliter in stratis, Boreâ bacchante, cubantem.
Aeg. Hoc nos te vario donabimus ante Hyacintho,
Quem mihi Dinensis custos dedit æquoris olim
Dum canerem: dixitq; tuæ hæc sint præmia Musæ
Quandoquidem nostrâ cecinit non talis in actâ.
Em. Et tu hunc flammiferâ beryllon luce coruscũ,
Quem facili pretio addixit mihi transfuga Gangis,
Sume tibi: quem me quondam dum posceret Aegle
Non tulit: illa licet ditis proles Polybotæ,
Multum oculis, nutuque, & blæsâ voce rogaret.

Ecloga quinta.

Phroura.

Phrasidamus, Myrtilus:

NAutica iam longos pinus permensa labores,
Venerat in portus, quâ plurima diuidit æ-
quor

Insula, cæruleo longo ordine sparsa profundo;
Maldiuas fama est nautas diuisse priores:
Quum iuuenes, tacitos peragit dum Cynthia cursus
Myrtilus excubias simul & Phrasidamus agentes,
Ambo animis, annisque pares, sed dispare flammâ,
Præteritos memori reuocabant mente furores,
Et prior hæc, rupitque silentia sic Phrasidamus:

Phr. O mihi Chrysæo Panope pretiosior auro,
O Panope optatâ multo mihi gratior aurâ,
Lucidior gemmis, tu nunc fors inscia dormis:
At vigili vigiles viuunt mihi pectoris ignes.

Myr. Chlori ruina animi, sed vulnus amabile nostri,
Vita mihi, sine morte, & mors sine munere vitæ,
Si tu heic blanda fores, cœlo sol aureus iret:
Et luci tenebræ, & nox cederet vda diei.

Phr. Dona meæ Panopæ gemmas, & cynnama misi,
Poculaque ignotis crystallina sculpta figuris:
Illa nihil contra, nec me dignata salute;
Surdior & saxis, atque his manet æquoris vndis.

Myr. At mihi quum rediens Pataleni marmoris vndâ,
Munera nescio quæ, (nec erant ea vilia) ferrem:
Basia Chloris amica dedit: quibus omnia vilent
Quæ legit Eois diues mercator in oris.

Phr. Fas mihi cœlorum dubios prædicere motus
Fas præscire auras quæ poscant flamina puppim.
Quæ sulcanda, & quæ fugienda sit æquoris vnda.
Cur nunquam facilem mihi fas præscire puellam?

Myr. Me neque quod gelidos sydus deflectit in Austros,

Me

Me neque quod gelidam sydus deuergitin Arcton,
Sydera nulla lateat, medio labentia cœlo.
Stella quid in totâ Chloris latet vnica terrâ?
Phr. Durat aquis puluis qui Puteolanus habetur.
Igne argilla riget, lapis hæc: saxum æquoris ille.
Pro mihi aquis lachrymæ, proque ignibus ardor amoris.
Tu lapis: & scopulo Panope mihi durior isto.
Myrt. Frigida calx, tacitum tamen in se continet ignem.
Igneus, è gelidis sedenim sal redditur vndis.
Si me Chloris amet, quid tum si haud fingat amare
Si me vrat, lachrymis, (quid tum?) mutabilis illis.
Phr. Candida, dura tamen Pariæ sunt marmora glebæ.
Grata, sed haud vno gemma est hyacinthina vultu
Quid prodest Panope quod candida, ferrea tota es?
Quid prodest quod grata? mihi modo dura futura es.
Myrt. Fuscus, at Eous chalybem trahit vndique magnes.
Forma Caledonio nigra est, vis mira, Gagati.
Fusca licet, nostram Chloris trahit vnica mentem.
Nigra licet, niueos infecit purpura mores.
Phr. Creta Ioui magno, sua Mercurio Cyllene,
Vulcano Lemnos, Veneri gratissima Cyprus.
Litha meæ Panopæ, si Lithæ commoda norint,
Vulcanus Lemnon, linquet Venus aurea Cyprum.
Myrt. Bacchus amat Thebas, doctas Tritonia Athenas.
Mars Rhodopen iactat, proles Latonia Delon.
Edini turres dum mellea Chloris amabit,

Neg

Nec Rhodope Edinum vincet. nec candida Delos.
Phr. Vrimur in Panopen. si quæ hanc mihi cura deorum
Afferat; hanc pelago solam regnare fatebor.
Huic vni stata sacra feram. quæ ferrea nunc est,
Mutabit primos fors huc delata rigores. (portet.
Myr. O si quis superûm blandam mihi Chlorida
Huc vbi tuta quies! iam iam sua murmura Tethys,
Iam posuit strepitus malus: iam sibila ventus.
Huc ades, & nostris illabere vita lacertis.
Ph. Orcades, in patrijs, & pulchræ Thulades vndis,
Vos dominam lustrate: illique hæc basia ferte:
Aut dominæ me auferte meæ non cura redire.
Pendebo à roseis, liceat modo cernere, labris.
Myr. Vos ô sub vitreis glaucæ Nereides vndis,
Abripite hinc cupidû, dominæq; ostendite amantê
Scilicet huc iterum citius remeare valerem,
Pauca modo à roseis decerpsero basia labris.
Myr. Aequore dum scopuli, fœcundis gramina cãpis
Aere erunt volucres, nocturno sydera cælo, (Aulter
Dum placidus Zephyrus, Boreas ferus, humidus
Ignis erit nostris Panope formosa medullis.
My. Ante boues pelagus, tellus feret herbida Cete,
Sol nocti lumen, concedet luna diei,
Absq; erit aura sono, mare murmure, flãme ventus,
Quam sine Chlori tuâ viuâ pulcherrima flammâ.
Hæc, Bodotriaco religatum littore funem
Soluentes, vento iuvenes, pelagoque fauenti,
Delati optatas Maldui ad marmoris oras,
Puppe super cellâ, peregrinum carmen ad æquor,
Fundebant: blandos testati pectoris æstus:
Cætera dum pandæ nautarum turba carinæ,
Enne super, remoque, aut transtris, fessa quiescit.

Ecloga quarta,

Nereus.

NOx erat, & fusi per dura sedilia nautæ
Carpebant placidum securâ puppe soporem,
Namque omnis procul insidijs locus optima fessis
Contigerat statio, neque terræ proxima duris
Rupibus: aut ventis, pelagoue obiecta patenti.
Quum pater æquoreus placidum caput extulit vndis,
Cæruleus Nereus, quem circum plurima Doris
Exstat aquis; & formosæ longo ordine natæ
Innumeras celebrant choreas: & carmina dicunt.
Illic Eurynome est. illic est candida Doto,
Et Spio, & Panope, Glauceque humeroq; nitenti
Cymothoe Melitoque oculis, & lubrica frontem
Dynamene, flammasq; labris imitata Menippe.
Illic est Siculo veniens Galateæa profundo.
Cymodoceque decens, atque intersusa rosarum
Læti genis Erato niueum decus. ilicet omne
Doridos, Oceanique genus, Nereiaque proles.
Non aberat Phorcus, non turpi cum grege Proteus.
Non Anthedonijs Glaucus qui præsidet vndis.
Affuit Ogygiâ iuvenis cum matre Palæmon
Tritonesq; citi, turbæ venere natantum.
Tum Gaditano properauit gurgite thynnus,
Exiluere suis pandi delphines ab vndis,
Tardior Arctoo sedenim balena profundo
Affuit: & patulis iaculatæ naribus vndas
Terrificæ pistres: & vasti corporis orcæ.

Hos

Hos pater æquoreus tum maiestate decorâ
Inter, vbi querulis iussit prior otia ventis,
Omnia fatidico texebat sæcula versu.
Namque canebat vti totum hoc quod vbique videmus,
Quod mare, & immensi laqueata palatia cœli,
Aeraque, & medij spatium complectitur orbis,
Innocuosque globos flammarum, ille arbiter æui,
Ille opifex rerum, nihilo formauerit olim.
Humano generi terras, auimæque volanti
Aereos tractus, vt piscibus æquoris vndas
Cesserit: & solo digesserit omnia verbo.
Vtque iubente illo tumidis efferbuit iris
Aequor: & effusa valles contexerit vndâ:
Transque Alpes, & Hyperboreis iuga cana pruinis
Cæruleum spumantis aquæ mare creuerit: vnâ
Involuens hominumque genus, pecudumque ruinâ:
Ni pater omnipotens sortem miseratus ab alto;
Et superesse volens de tot modo millibus vnum
Cum consorte thori, & communi prole Noachum:
Monstrasset tumidum structâ rate currere pontum.
O nimium dilecte deo! tua prima per æquor
Strauit iter puppis: pecudûq;, hominumq; aviumq;
Spem trabibus portans. tua sat fine remige cœruâ
Tuta ratis, non Hippotadæ de carcere missas
Accepit secura animas: non pixidis vsu
Monstratum sulcauit iter: cedente sed vndâ
Sedit in Armenia posti tanta pericula terrâ.
Inde Tyrum, & veteri gentem Sidone profectam
Pandit. & iratâ reduces Symphlegadas vndâ
Aesonio cessisse duci. Minoida Naxi
Tristibus in scopulis statuit, Theseia frustra

Spectantem

Spectantum humidulis abeuntia linţea ocellis.
Infelix Ariadna tuo nunc perfidus ille
Clam thalamo de nocte abijt: securus amorum:
Securus fidei: meritorum oblitus? at heic tu
Cautibus in duris, & vorticibus præruptis,
Sola tibi tantos iteras miseranda dolores. (cellos
„Pone tamen lachrymas. Deus impia vindice o-
„Facta videt. non ille domo promissa paternæ
Gaudia, sed mistis referet lamenta querelis.
At te nunc Satyris pulcher comitantibus Euan
In thalami noua iura petit. tua gloria cœlum
Tanget: & adiunctâ radiabit multa coronâ.
Nec non & Paphiam solatur carmine matrem.
Incolumemque Italos natum contingere fines
spondet, & Ausoniæ celebrat connubia Nymphæ.
Dehinc Laertiadæ reditus, post tanta furentis
Aequoris, & longæ permensa pericula terræ
Addit. & Actiacas spirantes triste carinas
Excidium Cleopatra tibi, dein ordine longo
Magnorum heroum tristes super æquora casus
Iungit. at vt tandem hæc peruentum in sæcula
mundi:
Vesputium grauiore sono, magnumque Columbũ
Dixit: & Hesperijs parefactum nauibus orbem
Quà sol occiduo descendit in æquora curru.
Nec pelagi dominum Dracum, quem cerula Doris
Non latuit, toties magno permensa labore,
Insignem aut Paulum tacuit: Martemve profundi
Magnanimum Gammam: Cæsarum qui flebile
turbæ
Ludibrium, extremâ recubans inhumatus arenâ,
„Debuit. Hos cineri sortitur gloria honores.

Felices

Felices animæ duri quos nulla subegit
Vis pelagi: non tristis hyems, non torrida Cancri
Brachia: non forti superauit Syrius æstu!
Vos nulla annorum series, vos nulla tacebunt
Sæcla hominum: tacitos voluent dum sydera cursus:
Aequora dum validis radijs argentea Phœbe
Combibet: & refluis præsens dominabitur vndis.
Hæc Deus, & læto resonarunt littora cantu.
Grataq; finitimas perflarunt sibila cannas.

Ecloga quinta.

Echo.

EGregiam formâ Næram, & florente iuuentâ,
Nautibus, Idaliâ traiectus cuspide, amabat,
Captiuos animos Deus auxerat igne Cupido.
Versabatque nouas noua in vsque incendia flammas.
Non illi Cereris, non læti cura Lyæi
Damnatæ luces: tum lurida noctis imago,
Vana per attonitam spargebat somnia mentem.
Sæpe viro patrias amor est dare lintea in oras.
Sæpe pudor reuocat: insperantique labores
Auertunt animum, sed plurimus ora colorans
Pallor, & exsuccis macies super ossibus hærens,
Prodebant tacitas ægro sub pectore curas.
Ergo vbi compositos non totâ mente tumultus,
Serpere at in latum sensit contagia flammæ,
Deserit socios, soloque in littore secum,

Multa

Multa super dominâ quæstus, fastusq; superbos
Ingeminans, nequicquâ, & magnæ pondera flâmæ
Audijt obscuris resonantem è cautibus Echo.
„Audijt. &, (miseri quid non credemus amantes?)
Est ratus esse Deam, flexisque in margine arenæ
suppliciter genibus, votis instantibus vrget.
Forte miser iuuenis, quæcunque es Diua faueto,
Dixittat è scopulis Echo respondit aueto.
Omine lætatus, Nymphe pulcherrima, Salue
Tu quoque, aut, nostrisque animis furare dolorem
Si licet: at licet huic non irrita reddidit Echo.
Verum vbi cũcta oculis lustrat, nilq; inuenit vsquã
Clamat, & hic quis adest? quis adest petit illa patẽ-
Horruit. at vocis dum multa resultat imago, (tem
Atque idem ingeminans, repetitq; petitque petita;
Tunc Echo dixit? Echo responderat Echo.
Ingemuit, tristique trahens suspiria vultu,
Effudit lachrymas: tandemq; ita perditus infit.
Na. Quæ iuga summa colis, scopulosq; atq; ardua
Obscuraq; vmbras nemorũ, solosq; receſſus, (saxa,
Aeris, & linguæ, Nymphe, celeberrima proles,
Cuius agor furijs? dedit hæc quis vulnera? E Næra.
„Na. Hei mihi, quã semper venit insincera voluptas
„Gaudia quam dolor insequitur comes! anne quid
Dulce manet? si chara nocẽt, si blãda dolori? (vsquã
Sed quonam perij? dic vulnere corporis? E oris.
Na. Tum credo, quum sydereos spectauimus orbes
Hos oculos, quum purpureis dare basia labris
Cæpimus: ignari rerum, illâ luce Cupido,
Hoc voluit miseros sub vulnere viuere, E verè.
„Na. Sed tamen, impositum superis deponere amorẽ
„Quum non fata sinant; constanti mente feremus:

Si

Si facilis, si blanda aderit, si Næra benigna.
Anne illa est adamas? an ferrea tota? E ea tota.
Na. Eheu! quænam igitur nostræ speranda salus?
Anchora? an his miseri semper iactabimur vndis?
Ibo, Ibo, & Zemblæ, aut potius Guineia regna
Inuisam. longe non dissita tanget? E at anget.
Na. Quodnam igitur, quod consilium mihi sufficis ægro?
„Exspectare iubes? nocet ah presentia amanti.
Ecquid enim faciet, si aliquo me lumine cernet;
Labra labris vel coniungens immurmuret? E vret.
Na. Heu quid agam? dolor est discedere; pœna manere.
Et me flamma grauis coquit, & mihi dura puella est.
Nulla mẽo medicina malo, est. at mergier vndis,
Collaue erit de re laqueo suspendere. E de re.
Na Ergo ego Leucadias tentabo perditus vndas?
Ergo ego Anaxaretæ risus pendebo superbæ:
„Sed quid si veterem noua flamma expellet amorem?
Me quoque amat, nonne est & candida Lydia? Lydia.
Na. Quæ sequitur, fugio, sequor hanc, quæ me fugit vltro,
„Hæc natura etenim miserorum semper amantum
„Quæ nocitura petunt: fugiunt quæ profore credunt.
Næram ergo omnino vitabo Nauita? E vita.
Na. Vitatur Boreas, Auster vitatur, & Eurus.
Vitantur nix cana, imbres, gelidæque pruinæ.
Omnia vitantur. sed amorem, & spicula mortis,

„Non

„Non modus effugere est. nec ab his fas curtere. E
„N Fama capi faciles animos canit vsq; puellæ (rere
„His natura decus formæ, & dedit esse venustas:
„At nobis sapere, ah cedit sapientia amori.
Cæpit amor superos, rex diuũ & amauit. E amauit
Na. Munera si obtulero, fors Næra fauentior ibit:
Respicietque meas placido tum lumine flammas.
„Munera sæpe homines, reges flexere, deosque.
„Muneribusne etiam Næra exorabilis? E illis.
Na. Rursus in Eoas terras dare vela iubemur.
Nunc Arabum syluas, & dites thure Sabæos.
Nunc ô, nunc, patrio spectabo vellere seras.
Copia sed tamen hanc capiet quæ muneris? E æris
Na. Verum age, nã certo Nymphe te scire putandũ
Omnia. si gemmas pelago ex oriente petitas,
Hesperiove aliquid pretiosi littore mittam;
Dona quum dederit, thalamũ quoq; inibit. E inibit.
Est mihi longinquo missus procul orbe lapillus:
Quem pater ipse olim magni mihi muneris instar
„Obtulerat. sed vis quid non extorquet ãmoris?
Hunc illi donis an Næra dolebit? E olebit.
Felicem me animi! quid iam mihi restat acerbi?
„Omnia qui vincis donis vincere Cupido.
Heic iam parta salus. sed queis mandabo tabellis,
Muneribus precer vt captis mihi parcere? E cæræ.
Na. Exequar imperium. faueas conatibus oro
„Næra meis. dat amor vates, dat & ire disertos:
„Sed simul & mutos. stupet alto vulnere pressa,
„Cura leuis loquitur. ego dulcia vulnera, E Næra,
Sed peramara tamen, vestris insanus ocellis
Hausi: meque istic, vitamq; animamque reliqui.
Hæc mihi tu, mea lux, poteris, quæ sola tulisti.

Reddere quum libuit, ne fata doloris, E oloris
Instar, tristè fleam: proprioque in funere cantem:
Heic procul à patriâ. neq, enim mihi currere portú
Profuit, vt viuetur amor: per saxa, per vndas,
Me sequitur, vultusque tuos, & gaudia, E dia,
Nocte refert, & luce mihi: dîs proxima virgo,
Diuinum auxilium rebus præsentibus affer,
Et nostri miserere. potes namque omnia, de me
Seu vitam, mortemue iubes, de vulnere E Næræ,
Dulce mihi perijsse: & dulce est viuere solo.
At potius vitam iubeas sperare: nec vnquam
Occidat ista manus, se qui tibi seruet amantem.
Quid tibi mors mea, quid poterit prodesse? E deesse
Si non hunc iubeat, te qui veneretur amantem.
Quin igitur potius, meque, & mea munera saluâ
„Luce mihi, vitaque habeas, seruare deorum est.
Tu regina Paphi, modo blanda fauebis. E auebis
Nunc tamen, & nostri te si quæ cura remordet;
Viue tui, nostrique memor, pulcherrima rerum.
Atque & aue, & rursus, rursúsque ô vita valeto.
Vita vale, procul hinc Eoo à cardine E Dinæ,
Scripsimus. at nostros, Nymphe, testare dolores:
Dum damus hæc Nautis: vestræ quoque nostra sorores
Saxa colunt. illic Echo resonabilis audit.
Nunc nox atra ruit. placet hinc abeamus? E eamus

Eclog. Naut. Finis.

ECLOGAE AMPELICAE,

Siue

Vinitoriæ.

Ioanni Scoto Scoteruatio, equiti, Regiæ Cancellariæ in Scotia directori.

Ecloga prima.

Choreæ.

ME quoque poſt pecudes, captaſque in gurgite prædas,
Poſt tempeſtatum varios, pelagiq; labores,
Viderunt ſatyri. lentâ ſub vite iacentem:
Et noua direptis plectentem ſerta corymbis.
Ecquid, Scote, nocet teneras fugiſſe Napæas?
Et Zephyris agitata leui ſub murmure Tempe,
Vnde Caledonij ſaltus: Morauæaque lætùm
Prata virent: vbi Pomonæ, Cererique quotannis
Dona calent aris? Iam iam neque ruſtica pubes,
Nec me pæra iuvat, nec me damnata colonis

Bæta nec agreſtes calami: baculumne ſilernum,
Collis & aprico ſemper gratiſſima Baccho
Arua vocant; vbi pampineis tumet vua racemis:
Feruet vbi plenis felix vindemia labris,
Mecum age fæcundi ſupera iuga læta Timoli,
Mecum age Nyſæas aude tentare choreas.
Primus ego aggrediar. Poſt me quicunque ſequetur
Tutius in noto ponet veſtigia cliuo.
Tempus erat placidos errat quum læta per agros
Cum calathis Pomona capacibus, vndiq; & omnis
Maturo grauidus curuatur pondere ramus
Vinitor extremas Laſius cantauerat antes.
Tinxerat Ampelius direptis crura cothurnis.
Ambo ætate pares: & adhuc florente iuuentâ.
Et formâ ſimiles: nigriſque à fronte capillis.
Verſibus, & Paphiâ poterant contendere flammâ.
Ambobus cauſa illa viæ, quæ cauſa furoris.
Iunxerat amborum vicinia longa puellas.
Proxima in aprico gratiſſima vinea colle,
Subter aqua, & crebris crepitat leuis vnda lapillis,
Hanc propter ſtatuere caſas, & paupera tecta,
Vicini agricolæ: qui tum omnes luce ſacratâ
Hymen, ô Hymenæe veni, de more vocantes.
Affuit huic turbæ Laſij gratiſſima flamma.
Affuit Ampelij. Glyceren vicinia tota
Dixerat hanc: Apalen illam dixere parentes.
Vt videre ambas iuuenes, ſimul oſſibus ignes
Concepere nouos animus ſimul inque choreas
Ferre pedem; & feſtæ cantare accomoda luci.
Ergo adeunt atque hæc (dextras vbi iungere dextræ

Poſſe

Posse datum.) Lasius, totâ saltante coronâ
Incipit. Ampelius Lasium post deinde sequutus.
Amp. Candida formosis mea vinci colla lacertis?
Aut vincire sinas. iuuat hoc, iuuat illud amantem.
si bona vtrumque dabis; fiam immortalis vtroque
Te amplexans rapiam, te amplexus basia reddam.
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis.
La. Basia purpureæ iungunt per rostra columbæ.
Basiolis Cytherea suum fouet obuia Martem.
Basiolis teneros fama est colludere amores.
Lude quoque, at pressis mecum, (mea basia) labris
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis.
Amp. Labra rosæ tibi suat, Tyriæ nimis æmula conchæ:
Labra tibi Veneris, sed qualia pressit Adonis.
Labra Helenes tibi sunt, rubicundula, blanda, pudica
Flammea sed nostris vbi sunt admota labellis.
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis.
La. Flamma mihi penitas insedit longa medullas.
Hactenus hæc labris suxi quoque spicula vestris:
Spicula dulcia amara. sed ô Venus aurea, quando
Stringet candidulis Apale mea colla lacertis!
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis.
Ampl. Cyprida dum validis deus armiger arctâ lacertis
Implicat, atque iterat repetitis basia labris,
Edidicit numeros: quos nondum hausere profani.
Scire velis? Veneris primum cole sacra sacerdos.
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis.
La. Ignoras mea lux, quid sit coluisse Cytheren,
Ignoras Apale. tamen hæc modo sacra Melænis,
Anthiaque edidicit. pete ab his, quæ sacra; quis vsus

Dixerit hæc lusus tibi passeris: illa palumbis.
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis
Amp. Quin age nec volucres tantum adspice, cerne quod vsquam.
Cuncta Venus. Venus est rebus natura creandis.
„Per pecudes, per aues, per pisces illa, per herbas,
„Per stirpes, vtraque meat quodcunque mouetur,
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis.
La. Stirpibus è salices. salici sunt flumina grata.
Littora myrtus amat. syluarum fraxinus vmbras.
Immitem taxus Boream solemque Lyæus.
Hæc ego prata meæ pedibus pulsata puellæ.
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis.
Am. Surgite purpureæq; rosæ, violæq; quotannis,
Et calthæ, & Glyceræ gratissima lilia nostræ.
Heic lætis floresce comis genus omne colorum.
Hyblaque, sintque meæ prata hæc Methymna puellæ.
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis.
La. O Venus, ô Veneris blanda indulgentia nat.
Qui mea festiuo ferijsti pectora telo,
Omnibus heic da vere nouo tua iura vocatis.
Hæcque velis Paphio contendere pascua luco.
Tundite festiuis ter mollia gramina plantis.
Hæc iuuenes, placidæ sic respondere puellæ.
Gly. Non fas innuptas iuuenes tetigisse puellas.
Nec nostrum amplexus, nec nostrum est basia ferre.
Vos Venus, & Veneris delectat filius ales.
Nos intacta tenet Diana: atque innuba Pallas.
Eia simul lætas sociæ celebrate choreas,
Ap. Virginitas tam grata dijs, nemorumque puellis,

Nos

Nos iuvat, hinc Satyri procul, hinc procul ite petulci.
Vos nemorum insidiæ Nymphis: teneriſque Napæis.
Fama quoque agricolis non parcere velle puellis.
Eia simul lætas sociæ celebrate choreas.
Gly. Lasciuos Satyros metuo, & vaga numina Faunos.
Casta velis Diana tuas seruare puellas.
Sepis ego strepitus, foliorum sibila sæpe
Horreo, finitimum metuo super omnia lucum.
Eia simul lætas sociæ celebrate choreas.
Ap. Hesternâ dum nocte domum secura redirem,
Audieram voces. Nymphas clamasse putabam,
Iste mihi subito lucus, Satyriqtie, Deæque,
Versari, & gelido constringere corda timore.
Eia simul lætas sociæ celebrate choreas.
„*Gly.* Hoc solum metuat, polluto corpore florem
„Ne virgo admittat. Venus esto odiosa puellis.
Sint dulces thalami, sint dulcia pignora nati:
Solui virgineum fugiat tamen vsque pudorem.
Eia simul lætas sociæ celebrate choreas.
Ap. Ceu rosa finitimos, superat pulcherrima flores,
Maxima ceu syluas supereminet æsculus omnes,
Illa tamen marcet si carpta: hæc proruta vilet,
Sic quæ virgineum solui sibi passa pudorem.
Eia simul lætas sociæ celebrate choreas.
Gly. Inter Semideas, comes associata Dianæ:
Ipsa suas inter comites, pulcherrima diua est.
„Inter fæmineas virgo regina cohortes.

Aſt in virgineâ, dea ſit caſtiſſima, turbâ.
Eia ſimul lætas ſociæ celebrate choreas.
Ap. Abſque lares horto, pulchris ſine floribus horti,
Abſque ſuis fluuij ripis, ſine arundine ripa
Abſque comis ſyluæ, Zephyro coma, nulla viderut
„Nil virgo caſto ſine corpore: pectore corpus.
Eia ſimul lætas ſociæ celebrate choreas.
„*Gly.* Diſcite formoſæ corpuſque animumque puellæ
„Illecebris ſeruare procul res lubrica forma,
„Inſidioſa ſibi eſt, animis ceu blanda loquela.
„Diſcite, vtrinque hoſtis, vos turdus, at hic crux auceps.
Eia ſimul lætas ſociæ celebrate choreas.
Ap. Turpe lupæ nomẽ, virgo eſt lupa corpore tacto
Triſtis coniugij titulus. fuge nomen vtrumque
Quæ ſapis. hoc pæna eſt, ſcelus illud, vtrumq; nociuum
Seruitium, & labor hoc, dolor illud, & alta querela.
Claudite nunc feſtas ſociæ, monet hora, choreas.
Sic illi lucem cantu choreiſque ſacratam
Duxerunt læti, donec ſua Veſper Olympo
Lumina diffudit. tandem diſcedere vtriſque
Cœpit, & invitos nox atra abiunxit amantes.

Ecloga secunda.

Comastes.

sine

Bascavis.

IBo,meæ properans pulchræ Bascænidis ora
Visere.maturas puer his sub vepribus vuas
Chare puer serua,ne quis malus auferat:aut has
Transilens sepes pedibus vulpecula calcet.
Quo te agis ô malesane?tibi tu causa furoris
Quo te agis ô demens ? quid si tua munera fastu,
Quo te sæpe ante,excipiat nec tollere curet?
„Perge tamen.spes ire iubet.spes optima rerum,
„Optima spes,cupidum spes.vnica seruat amantẽ,
O ego nunc mea dona forem!sel ci a rura
Quæ mea dona tulistis!& ô sine fine beata
Vitis,amica dijs,vndẽ hos decerpere botros
Conceſſum! roseis tanget vos nostra labellis.
Vos tereti digito tractabit molliter.& vos
Laudabit forsan.nostras surdâ aure querelas
Ire sinet:rapidis ludibria vana procellis.
Crudelis Bascæni,odione rependis amorem?
Irriſu lachrymas?contemptu sæua dolores? (me
Quid querar?eveniant tantum hostibus omnia,quæ
Dura pati cogis!quancuam,ô quisnam foret hostis
His oculis?quid labra addam?quid eburnea colla:
Quæ liuor laudare velit,si sanior esset?
Ah me,quod multos nimium forma inuida mouit
Hæc iuvenum.similes sentit sub pectore flammas

Vini.

Vinitor Antycidas: & vinitor alter Iolas.
Diues vterque agris, quamquam neque forma, nec ætas
Accedit nobis, nuper me flumine puro
(Si memini.) Ligeris, depostâ veste lauaui.
Qualis eram! vos ô testes sub gurgite Nymphæ,
Et tu Bacche pater; incundæ consitor vuæ.
Non ego tum Antycidam, potui non vincere Iolâ?
Quinetiam me nuper anus, licet inuida, Marmo,
Quum fors mane nouo redeuntem cerneret hisce
Sepibus ex ijsdem, atque vuas de more ferentem:
Despue ter dixit, ter despue dixit, Alæe.
Lingua tuos fors sit ne fascinet improba vultus.
Me quoque non pauci generum petiere parentes:
Me quoque non paucæ sponsum optauere puellæ:
Si nescis mea lux, nouit vicinia tota
Lyda quibus precibus, quibus optima Nisa rogarit
Neutra licet ibi se vellet conferre colore:
Blanda tamen fuit: & quanuis myrto æmula forma
Tam mihi difficilem non se præbebat amanti.
Cur oblata miser spreui: cupijque negata:
Nempe genis, roseis, nempe illis raptus ocellis?
„Eheu quid volui misero mihi? num minus ergo
„Num minus in nigrâ Charitum, Veneriſque puellâ?
„Sunt, (quid id est) nigræ violæ, vaccinia nigra,
Et nigrum Oebalij floris decus, & sua viti
Vua nigra est, radios vbi sensit Solis, & æstus.
Verum (ah!) sicut aues inter Iunonius ales,
Quum caudam obuertit, stellis, gemmisq; superbâ,
Vnum agit in se oculos: quanuis neque vocis aedon
Blanditijs, animorum aut cedat robore gallus:

Inter

Inter tu ſocias longe pulcherrima Nymphas:
In te animum, in te oculos, potuiſte ſola mouere.
Nunc mentis regina meæ quum facta, ſuperba
Exerces odia: & caſsâ ſpe ludis amantem.
Dimidium ô mihi vitæ, & dimidium mihi mortis,
Quin age dimidio vel tantum pectore amato.
Totus ego viuam: qui nunc miſer inque fauillas,
Inque abeo cineres. ſed neſcis, candida, neſcis
Quis ſit amans. non paſtor ego, vilisue bubulcus,
Aſſueui domini pecudes ſeruare ſuperbi:
Horridus in pannis, baculoque armatus agreſti.
Me Bacchi cultura trahit. mihi fertilis annus
Vitibus. & plenis propendens pampinus vuis.
Hortus & eſt, vbi olus Cancri, & gelidi Capricorni
Sidera contemnit. non beta, cichoria, porri,
Non eruca ſalax Veneri gratiſſima, non huic
Allia, non molles maluæ, nec olentia cepe,
Non lactuca, rumex, non laſſa cucurbita deſit.
Quid tibi diuerſum florum genus, aptaque Muſis
Otia, ſecuras ſub opacis frondibus vmbras,
Fructiferoſque feram ramos? volucrumque ſuaue
Murmur? & Hyblæo ſtipatas nectare cellas?
Præterea domus eſt, quam dum vicinia ſpectat
Laudat præteriens. domui ſatis ampla ſupellex,
Sed domui nondum domina eſt. hera quæreris illi:
Huc ades, ô mea vita, atque hos ſubiiſſe penates
Ne pudeat mecum. tibi nos, tibi noſtra ſupellex,
Ruraque ſeruierint. carpes bene olentia mala,
Caſtaneaſque nuces. ceraſoſque. & dulcia mora.
Prunaque. præcipue ſurget tibi lætior vua.
Quid miſerum torques? quid ſic mihi dura faceſſis
Longum opus? inq; dies complexibus inuida nectis

Mille

O dulcis Baſcæni, tuis age labrà labellis
Ferre ſine: & per mille animam reuocare ſuſurros.
„Vana quidem, in vanis tamen eſt quoq; grata voluptas
Baſiolis. facies hæc modo carpere ſerta
Fruſtratim: tibi quæ ſeruaui, atque ante plicaui,
Sed quid id eſt? oculus dexter iam mî ſalit. anne
Anne ipſam aſpiciam? cantabo accliuis in vmbrâ,
Fors erit, huc oculos, neque enim eſt admantina (mantes?)
veretet.
Atque vtinam hæc aliquis (ſed quis Deus audit a-
Illius ad duras quantumuis deferat aures!
Pulchrior ô niueiſque roſis, folioque liguſtri:
Dulcior, & nuper carptis mihi mollior vuis:
Quò prior illa mei tandem tibi cura receſſit?
Quonam amor, ecquò abijt? cur non (velut ante ſolebas,)
Obuia nunc prodis: & blandâ voce ſalutas?
Quid merui? quæ culpa mea eſt, mutata recedas,
Iamque tuum vt fugias; coluber ceu frigidus anguê
Et colubrum mediâ metuit ceu luce viator?
Siſte, per ô Bacchi digitos, & Apollinis ora,
Dictynnæ inceſſus, Veneris per baſia quæſo,
Siſte puella, puella: nec illo turgida faſtu
„Deſpice me Nemeſis ſequitur ſua crede ſuperbos.
„Ah formoſa, illis nimium florentibus annis
„Ne credas, fluxa eſt perituræ gloria formæ.
Et roſa puniceis ſplendet Pæſtana capillis.
Et violis decor eſt. & lilia pulchra videntur.
Sed roſa, ſed violæ, ſed candida lilia ceſſant:
Quum ſemel hybernas Boreas effuderat auras.
Iam nimis hæc cecini. doleo caput, at nihil audit

Illa

Illa tamen, malesane quid isti insistis amori?
Posse mori datur, & moriens cur non morieris?
Heic coma vitiferos propter viret vlmea colles,
Heic etiam restis duræ mea fata placebunt.
Et scio. Nim Batrachus cribro mihi tristia nuper
Vaticinata diu cecinit, plantataque nostras
Caltha recens manibus. Phæbo diuertit ocellos,
Sed nec anus Petale, nec tot mala Grylla silebat.
Grylla ad surgentem ter lumina vertere Lunam
Docta: ter ad magicos dare conscia murmura rhombos
Illa veneficijs quanuis contendere Circæ,
Herbis Medeæ, & carminibus Perimedæ,
Non tamen, ah, sæuas potuit mihi demere flãmas.
Nunc vbi, quoue animus, quo mens tibi fugit Alæe?
Quin tu collectas potius cum fratribus vuas
Aut plantâ premis: aut sectas à vitibus affers
Prouidus, an præsens illis mimis indiget vsus?
quid finis in vacuis tibi currere tempora votis:
Desidiosus, iners? veluti secura cicada
Transigit obstreperis æstiuas cantibus horas,
Differ. erit facilis, quæ nunc tibi dura: placebit
Dijs modo, non omnes idẽ est amor vnus in horas

Ecloga tertia.

Fæmina.

Percus, Ligus.

HVc age pampineâ mecum requieſce ſub vmbrâ:
Vlmus vbi lætas complectitur obuia vites.
Heic Lige de ſummo ſe voluens vertice, in imas,
Cum ſtrepitu valles deſcendit amabilis vnda.
Heic vacuum tremulis concentibus aera replens,
Certatim Philomela modos, & fundit alauda.
Li. Quam vellem! ſed cura recens, diuerſa priori,
Perce vetat totas tecum traducere luces;
Dum modo tu Bacchi colles, modo muſtea dona,
Et modo furtiuos ſolitus reſonare furores.
Hos Glycere vultus, hos blanda Melænis ocellos,
Hos Apale crines, hæc colla argentea Lyde,
Hos greſſus habuit, cunctis prælata puellis
Theſtylis. hos animos, hæc verba, hos Anthia mores.
„Fortunate, graui qui tot ſine coniuge noctes
„Exigis & dotem propter ſubeuntia vitas
Tot mala. tu dominæ imperijs aſſuetus amicæ,
Nomen herile fugis. me turbida vexat Erynnis,
Importuna odijs: decimo cui vix tamen anno,
Lucina ad nexus vllo clamore vocata eſt.
Per. Scilicet hoc Lige, quod triſtis mihi, & horridus idem.

Nec

Nec ſolitum geſtuue ferens, vultuue videris.
Quæ mala te rabies, quis te furor egſt apertus
Præcipitem in thalamos? certe neque forma', nec
ætas,
Admorunt flammas. nec erat cui ſanguis auitis
Splenderet titulis, ſed diues vinea fætu.
Finitimuſque hortus, flexitque argentea Cypris.
Cur tibi diſplicuit pulcherrima Amymonis Ida?
Ida puellarum longe decus: Ida procorum
Mille labos, & mille faces, & mille furores:
Læta genas, læta os roſeum, vaga lumina læta.
Coniuge tu hac felix potuiſſes cernere natos.
Huius ad arbitrium teneras ſerere ordine vites,
Collapſas Boreæ violento flamine ſepes,
Reddere agris: longum cantu fallente laborem.
Li. Ah, pereat male, Perce, ſecus muliebre quod
vſquam eſt.
Ignauaſque Stygis ſubito trudatur ad vndas!
Ignauum, indomitumque genus, fictum ore, ſuperbum,
Plenum odijs, crudele animis, chaos omne malorũ
Per. Vnde iſthæc ſubito rabies? tune ille, ſolebas
Qui cantare tuæ laudes, & baſia Nymphæ?
Quò tam mutatus, quò tam diverſus abiſti?
Si tibi coniugio nocuit tua barbara coniunx.
In damnandæ aliæ? quin ſi mala & illa, ferenda,
Lege thori tamen eſt. nihil omni parte nociuum.
Aſpicis, arboribus varia eſt natura, nec omnes
Vmbra, nec optari commendat gratia fructus.
Aſpicis vt platanis decus, & ſua gloria malis,
Certet vtrique ſuis vitis licet vnica donis.
Li. Ignoras quæ coniugij mala, talia qui me

Per

Perce doces, non est platanus, non fæmina malus;
Sed fæcunda, malis: Stygijs sed tristior vmbris,
„Sit quæcunq; eadem est, nam fæmina fæmina solum est.
At mihi quæ placitis Nemesis iam vibrat ocellis
Mille faces, quamuis dura est, quia fæmina forsan,
Non mala, non tristis, bona, dulcis amica videtur.
An rosa mî spinam hæc, an mellea fel apis hæc fert
„*Li.* Si sapis, insidias fuge virginis vsque puellæ.
Læsus ego, magnâ testabor voce per auras
„Nil extra est miseri, nîl incute fæmina digni.
Per. Contra ibo. quis enim hæc opproria libera ferret?
Li. Dulce patrocinium nunc triste videbitur olim
Per. Vnius ob noxam, cunctas damnaueris, vnus?
Li. Vnius ob formam, cunctas laudaueris, vnus?
Pra. Fæmina dulce bonum. requies secura labo.
Delitiæ humani generis. solatia vitæ.
Blanditiæ noctis. placidissima cura diei.
Vota virûm. iuuenum spes. dulcis flama deorum.
Li Fæmina triste malum, damnata quietis Erynnis
Insidiæ humani generis. querimonia vitæ.
Exuuiæ noctis durissima cura diei.
Pæna virûm. iuuenum nex. turpis mæcha deorum.
Per. Orbis honos, oculus naturæ, atq; altera origo
Pax rerum, & iunctâ concordia blanda cathenâ,
Quicquid erit placidi, lepidi, grati, atque faceti,
Fæmina, cunctorum retines Pandora Deorum.
Li. Mundi horror, monstrum naturæ, atque altera pestis,
Lis rerum, & ruptâ Discordia sæua cathenâ,
Quicquid erit miseri, timidi, duri, atque superbi,

Fæmina

Fœmina cunctorum retines sentina malorum.
Per. Cornua dat validis in mutua vulnera taurís,
Calce armauit equum natura animæque leonis
Terribiles acuit dentes: atque oris hiatum.
Germani pro cunctis cessit tibi fœmina telis.
Scorpio pestiferæ meruendus cuspide caudæ.
Rhinoceros valido Barrorum in vulnera cornu.
At Barrus longâ promuscide concipit iras.
Linguam pro cunctis habet improba fœmina diris.
Per. Quod Ceres est agris, quod colli Bacchica vitis,
Quod rosa odorifero surgit dum nobilis horto,
Gramina quod pratis vario distincta colore,
Hoc erit humanæ gratissima fœmina vitæ.
Li. Triste vehit teneræ Boreæ inclementia viti
Triste canis lepori, damæ lea, retia ceruæ,
Triste auibus laquei pauidisque est falco columbis.
Tristius humanæ dirissima fœmina vitæ.
Sic illi aduersis frustra contendere verbis,
Sic studijs, odijsque pares abiere vicissim.
Turgia riserunt Satyri, Faunique bicornes.
Sed Dryas & placidæ non applausere Napeæ.

Eclogâ quarta.

Staphyle.

Dromus, Iolas.

FLuminis ad placidi iucundũ murmur, vbi vda
Turba frequens salicum ripas viridante coron
Cingit,& optatas diffundit populus vmbras,
Conuenere simul, iaculo quos fixerat vno
Non ignarus amor; Dromus,atque imberbis Iola
Qui tum vnà Staphylen furiatâ mente ferebant.
Sæpius illi olim syluis,& montibus altis,
Crudelem Staphylen,fastidia dura,superbos
Sed dulces oculos,& mellea labra canentes,
Iactarant vacuis nequiequam vana querelis.
Tum vero,(seu fors tulerat,seu numen vtrumque)
Adfuerant. duras ambobus prodere curas
Velle fuit:rapidumque animi renouare furorem,
Immitis Staphyle,primum clamarat Iolas.
Crudelis Staphyle iuvenis responderat alter.
Heic vbi dilectæ patefactum nomen amicæ,
Exarsere animis. vultus color, iraque mentes
Tinxit.& infestis committunt prælia verbis.
Dro. Tune meos, Dromus, ergo audax tentare fa
rores:
Tune meos,dixit? Staphylen sperabit agrestis
Vpilio,cui pæra domus:cui regia ouile?
Iol. Infelix,num me genuit quem diues Amylcon
Diues agris,cui tot syluæ,tot iugera parent,
Tot grauidi Baccho colles, talem esse putâris
Custodem teneris pauidis sub ouilibus agnis?
Dro. Scilicet id Satyris curæ,notumque Lyæo;
Nempe

Nempe deos tangit quæ sit tua origo paluſtris.
Omnes hoc platani posthac, quercusq; loquentur.
Vix mihi, finitimi qui sum vetus accola Clani,
Scire prius licuit quod si tibi vana parentum
Nomina, si nostri pariunt fastidia, colles;
„(Quanquam homines sua nobilitat, non altera virtus)
Inferior non ibo tamen, patre Amymone Iolas
Progenitus: quem farre Ceres, quem vite Lyæus,
Arbore quem semper grauidâ Pomona beauit.
„Iol Sed tamen & superis curæ mortalia credas
„Esse: datum solis quibus est cognoscere cuncta,
„Quæ lato omniparens gremio complectitur æther
„Seu tu parua velis; seu dicas maxima rerum.
Nec me, nec seriem nostram pia numina temnunt:
Sed me, sed generis seriem, sortemque tuentur.
Dro. Sis patre, sis proauis, sis longâ aborigine clarus.
Depluat in te quisque deûm sua maximia dona.
Sis quicunque velis. cœlo vel Iupiter ipso.
Quid tibi cum nostrâ mecum commune puellâ?
Iol. Quin puerum potius Veneris, qui spicula spargit,
Qui mea iucundis lacerauit pectora curis,
Communis dominæ mecum rivalis adito:
Et pete cur eôdem serijt mea viscera telo. (puella,
Dro Verum age, quandoquidem nos flâma, atq; vna
Esse pares voluit: quis Phœbo gratior, atque
Vmbrosis Heliconis aquis, turbæque sororum,
Carmina deducat, simul has tentemus ad vndas.
Io. Dij nemoris, vosq; ô vitreo sub gurgite Nymphæ
Sistite ramorum, & placidarum murmura aquarum
Hosque audite modos vtinam qui carmine vincet,

Basiaque,& totum ferat in sua vota puellam!
D. Hæc aqua vti virides placido secat agmine ripas
Et fugit arguto per mollia gramina lapsu,
Sic mihi quam Staphyle placidis succendit ocellis,
Pergat,& in rapidas cura omnis difluat vndas;
Io. Hanc aquam vti,hoc ipso desumptam flumine,in ipsum hoc
Verso flumen,vti cognatis differat vndis:
Sic puer arcitenens in mea sua flumina fudit.
Hisque è fluminibus raptas superingerit vndas.
Dro. Igne miser perij,flamam sedare volebam.
Haurio finitimo dominæ prope culmina fonte.
Fons noua flama fuit:duo nam contraria præstat;
Ore meo friget:fibris sub pectoris ardet.
Io. Fons prope chara meæ spectatur tecta puellæ,
Illic tela dei, dum se lauat, ignea lapsa.
Tela exemit Amor.flammas,igneſque reliquit.
Hinc sors mansit aquis : quicunq; potauit,amauit.
Dro. Esse ferunt Lybiæ fontem sitientis in oris:
Nocte calet:sed luce alget.si vera feruntur,
Transtulit in me istas Veneris puer aliger vndas.
Nam mî absente calor,glacies præsente puellâ.
Iol. Esse ferunt celebrẽ Clymenes sub nomine fontẽ
Commouet extinctos, motos extinguit at ignes.
Debuit haud Clymene,Staphyle sed lympha vocari
Sed Staphyle extinctis linquit sua semina flammis.
Dr. Respice me Staphyle.dominus sum fertilis horti
Quem Zephyrus,quem Flora colit. Nymphæque frequentes.
Quem Ver perpetuum diuerso flore coronat.
Huc ades,& pleno stillabit copia cornu.
Io. Blanda saue Staphyle,mihi plenis vua racemis

Colle

Colle tumet multâ. Dryades, satyriq; frequentant.
Silenusque pater. Bacchus quoque sæpius vnà
Affuit: & motis dixit mihi fausta corymbis.
Dro. Arte meâ varias frondes, & non sua poma,
Arbor agit dias iucundùm in luminis oras,
Mala pyris, & corna onerantur saxea prunis:
Vt Staphylæ in nostris crescit noua flamma medullis.
Iol. Noui ego quæ loca Bacchus amet. quis in æquore campi,
Colle quis exsurgat. quali ordine, quoq; serendus
Tempore. quas melius cæli prospectet in oras.
Ah tamen insanum non noui vincere amorem.
Dro. Vos ô qui teneros vehitis per nubila Amores,
Formosi Zephyri, vos dulcia flabra Fauonî,
Has circum motis ripas qui luditis alis,
Partem aliquã è nostris Staphylæ perferte querelis.
Iol. Euri, qui campis læti properatis Eois,
Te agedũ, & Staphylæ mea basia reddite pulchræ.
Deîn puero hæc Veneris mea verba nouissima ferte
Me verte in rigidum, flos nolo viuere, saxum.
Dro. Vos ô quæ Nymphæ syluis habitatis opacis,
Mollia securæ ducentes otia vitæ,
Dicite, quos gemitus, quos fudi sæpe dolores:
Dum nisi sola meam pascunt suspiria mentem.
Iol. Aeris ô proles, scopulis grata hospita solis
Quæ vacuum reples repetitis vocibus Echo,
Dic age, quas, quoties, fudi te teste querelas:
Dum quoque te duris sensi adgemuisse sub antrus.
Dro. heic Progne veris, vicina heic tempora Aedon
Iuntiet æstatis: grauidas heic palmite vites
Picedula. heic gelidum primo frigilla decembre m-

At locus ipſe meos, Staphylæque recantet amores.
Iol. His procul obſtrepere ripis diſcedite ranæ.
Ite Hecates alio magicæ ad ſtata ſacra rubetæ.
Hic locus eſt Muſis, Phœboque, ſacerque Lyæo.
Hic Staphylæ, hic noſtro ſacer eſt locus vſque furori.

Sic iuuenes parili traiecti pectora flammâ,
Populeas ſubterque comas, & cana ſalicta,
Certabant. ſed quod nullo ſub iudice cantus
Cauſa ſtetit, primæ neutri data palma Camœnæ.

Ecloga quinta.

Orij desiderium.

Georgio Montgomerio Episcopo Medensi & Clophor

HOc etiam vati Dryades concedite carmen,
Dum iuvat obscuras nemorum subijsse latebras,
Dum pharetras Nymphæ, ponit dum spicula Phœbe,
Et Bacchum tacitâ ducit Silenus in vmbrâ.
Pauca meo Montgomerio, sed quæ probet ipse
Nam modo sunt dicenda. neget quis carminis illi
Immemor officium: quo nullus combibit vsquam
Aoniæ numeros avidâ magis aure coronæ.
Sic vobis syluis seu solæ errabitis altis,
Siue sub annosâ fessum deponere quercu
Forte latus iuuet, aut placidum captare soporem,
Non struat insidias Satyrum lasciua iuuentus.
Pergite, & Alconis pueri referamus amores.
Quo fugis à Satyris? quid amatas deseris vmbras?
Quæ tibi Mediacæ pariunt fastidia syluæ?
Aut quo pulsa mei tantum tibi cura recessit?
Anne tibi est odio, hirsutum quod gausape portem?
Veste tegar vili? mollesque in gramine somnos,
Aut salientis aquæ prope dulcia murmura carpam.
Quodque agitem per rura feras: cursuque fatigem
Voloces ceruos. capreisque, aut retia damis
Certa locem: & iaculo rarùm fallente lacessam?

Quodq; herbis vescar quæ rusticus educat hortus.
Hornaque mella legam, quod plurima pampinus vmbrâ
Me iuuet, atque acidis iucundùm arrideat vuis.
Quod mihi continuus tese labor ingerat. & lux
Vsq; nouũ nouã gignat opus. nunc semina quæram
Castaneas quæ producant, quercusque sacratas.
Nunc faciam exiguâ radice repullu et vlmus,
Aut cerasus, Clarioque deo gratissima laurus.
Nunc plantas tenero raptas de stipite matrum
Deponam sulcis, summum modo sæpe cacumen
Telluris mandem gremio. modo cauice secto
Palladium sicco germen detrudere ligno
Ingeniosus amem. quin & conuertere ramos
Corpus in alterius, primum & mutare saporem
Non dubitem; vt modo mala pyris, modo coma tumere
Adspicias prunis. an nostri tædet Orie,
Quod glaucas cogat salices, lentasque genistas,
Ars mea syluestri positâ mansuescere forma?
Quod varie inserere, atque oculos inducere possim
Quod Xystis hortos decorem, pluuioque canali
Irrigem, vbi æstiuos exussit Sirius agros.
Diffundamq; nouos in idonea tempora flores.
Sæpe moram injiciam violis, placidisq; Hyacinthis
Pandere sæpe comas iubeam, & præcurrere tempus.
Inducamq; nouas facies (mirabile dictu.)
Inque vno varios ostendam flore colores.
Anne quod ille ego sim, videor tibi vilis Orie?
O dolor an syluas inter reptare pudori?
Et mecum has habitare casas? ne despice syluas;
Ne contemne casas. primi has coluere parentes;
Aurea falcifero quum sub patre regna fuerunt.

Ipse

Ipſe parer diuûm, rauco qui fulmine ſternit
Aereas quercus, & coniferas cupreſſus,
Sæpius Ideâ ferur latuiſſe ſub vmbrâ
Inter populeaſq́ne comas, & pinea tutus
Brachia. & in toto quidnã eſt Ioue maius Olympo
Non puduit Phœbum ſyluis errare Pheræis,
Innixam aut oleæ profugam Titanida trunco,
Et Phœbum, & Phæbi caſtam peperiſſe ſororem.
Singula quid memorem? Dijs ſyluæ tecta fuerunt.
Viſere quum cœpit terras cœleſtia corda,
Nunc etiam ſpreto gaudet pars maxima cœlo,
Inſyluis habitare ſacris. ita maximus Euan,
Et Dyctinna potens iaculis & tertria fontis
Numina Pegaſei degunt feliciter æuum.
Hæc loca ſemidei Fauni, Satyri, & Silent,
Hæc loca capripedes, impexi cornua Panes,
Hæc loca Hamadryades celebrant. Dryadeſque ſo-
rores.
Hæc loca ſunt, vbi ſe pura, & ſyncera voluptas
Oſtendit ſine nube oculis, mentique videndam.
Heic iucunda quies, heic pulſis otia curis,
Non ignaua tamen, vel pigro vincta veterno,
Heic amor eſt: heic deliriæ quaſcunque requirat,
Vita hominum. hic locus eſt, vbi tardè fila puellæ
Tres reſecant. vbi rara lues, morbique vagantur.
Hic locus eſt vbi amicitiæ ſtata ſacra colunrur.
Fraus, odium, vis, ira, furor, liteſque faceſſunt:
Inuida liuentes oculos quo auertit Erynnis;
Et ſpes; atque anceps pauor; & querimonia triſtis.
Hic eſt ille locus, quo amor inſatiatus habendi
Exulat: & vanis tollens ſe gloria pennis.
Hæc loca tune igitur fugias? quid ſi tibi nuſquam

Coll

Collis Orie ſacer? quid ſi tibi nulla ferarum
Montibus in celſis veſtigia? quid tibi ſi non
Surgeret heic platanus dominum vt dulci iuuet vmbra?
At poſſes colles tamen hos, monteſque ſupremos,
At poſſes platani cupere heic iacuiſſe ſub vmbrâ.
Huc ades ô diuine ſenex. te noſtra repoſcunt
Rura vnum. te iam cita per iuga montis Oreas,
Per ſyluas Dryades, per florea prata Napeæ,
Per liquidos Nymphæ laticum fonteſque, lacuſque,
Per vites Satyriſci, hortos per Orie Priapi,
Per valles Echo, ſcopuloſque, & ſaxa requirit.
Te tua villa vocat: platanus quà plurima ſurgens,
Tonſilis & buxus, & frondibus æſculus altis
Detinet effuſi latiſſima iugera campi.
Taurus vbi, cui frons iam turgida cornibus, altâ
Valle vagus, mugit: Veneremque, & prælia, certus
Deſtinat imbelli vitulus ſed fronte minatus,
In pugnam prurit. grex heic tibi plurimus errat
Fœcundæ cortis. caudâ gemmante ſuperbit
Pauo. ſtrepit cuſtos Capitolî garrulus anſer.
Aut premit, aut multâ gallus ſe coniuge jactat,
Murmurat hinc ſummâ, plaudit huc è turre columba
Cereus hinc turtur placidũ gemit: inde palumbus,
Hinc ſinum ſequitur, villæ cum virgine, porcus.
Inde vocat mollis matrem balatibus agnus.
Sed quid ego hæc vano nequicquam verba dolori
Iacto miſer? nemus & ſyluas, & paſcua, Orius
Negligit: & noſtras non curat viſere ſedes.
Scilicet huic Thameſis Bannæ formoſior vndis.
Pulchrior eſt merſæ nomen Sabrina puellæ.

Blandior

Blandior est Humber, nostrine ita nulla cupido
Sedit Orie animo: penituſque exceſſimus? ô cui
Conquerar hæc diuûm? vos ô, vos reddite ſyluæ
Saxonidum, vos ô. vos flumina reddite Orium.
Hæc vos Mediacæ Dryades, laticumque puellæ
Sacrorum. vos hæc quæ montibus errat Oreas
Blandâ voce rogat. ſic poſtquam carmina fruſtra
Montibus, & ſylvis Alcon iactaſſet, & vmbris;
Surgit: & ad notam ſua fert veſtigia villam.

Eclog. Vinit. Finis.

IOANNIS LEOCHAEI SCOTI,

Epigrammata.

JACOBO HAYO,
NOBILISSIMO
Duncastriæ Vicecomiti, &c.
Regi à Consilijs sanctioribus.

Ioannes Leochæus. S.

NOn te celabo, (Nobilissime Haye,) *quali ego in biuio versatus fuerim: dum*, Musarum mearum priorum, *particulam hanc, & materiæ dignitate, & ingenij acumine, cæteris posteriorem, tibi dicare animus iampridem fuit. Dum, enim, inter virtutes tuas illas plane heroicas, meamque rusticitatem, & ingenij tenuitatem, comparationem instituere paro: non possum, quin pudore suffusus, vadimonium statim deseram: speque omni abiecta, a tam audacibus ausis omnino desistam. Sed enim, dum heic incertus fluctuat animus: & potius pectora concipit, quam melioribus fidem adhibere potest: tandem aliquando, necopinanti, spei aliqua lux affulsit. Et cum spe, audacia crescens, stimulos adiecit. Quorsum enim istud Musis sacrum pectus, hac fugiat? non vnus idemque cantus, semper eas delectat: nec earum mystas capere, aut auditorum aures replere pootest.* δὶς κράμβη θάνατος. *& vt cum poeta loquar,*

Quod caret alternâ requie, durabile non est.

Hoc idem, ego qui tibi persuasum esse volo, ette nunc exemplis ipse praeo: neque diu vel lasciuioribus, vel tristioribus insisto: sed ex vtrisque, aliquid lectori tem. temperare volui: quod fastidium, non posset omnino parere. Vtinam meus hic conatus, aut tibi, aut illi gratus! veruntamen, vt eorum diuersa ingenia, ita, tuum, omnis humanitatis & comitatis commune Asylum, si non vsquequaque, dextro pede propositi nostri vestigia premere potui: veniam dabit saltem volenti. Sedenim, dum ego his aures tuas obtundo; in decori scopulos, fortasse incautior impegi. Quorsum enim epistola? aut quid hic tandem est, quod non pari dexteritate, in Epigrammate aliquo dicere potui? nisi si fors, simplicius, & humilius, mearum virium probe conscius, profari volui. Deus ergo meas, heic, prius flexo genu suppliciter deueneratus, ad te (Nobilissime Domine) sermonem statim conuortam. Neque lectorem, in prima statim pagella, aliud exspectantem, hiantem deludi, & a nugis hisce longius arceri fuam.

IOANNIS LEOCHAEI SCOTI, EPIGRAMMATVM.

Liber primus.

Ad Muſas.

LVſimus, & primos teneræ lanuginis annos,
Iuſſit amor caſtris, ecce, vacare ſuis.
Iam, noua Pieriæ prætentant fila puellæ.
Iam, nouus auratam pulſat Apollo chelyn.
Bilbilides Muſæ, mihi vos ab Amore ſecundæ:
Porgite de veſtrâ pocula plena manu.
Et tria mî, ſed non cupidæ quæ Cinna maritæ,
(Res mihi cum dominâ conuenit iſta meâ.)
Sed præbete ſalis naſi, & breuitatis acumen:
Quò poſſim ingenuus libera verba loqui,
Ne tamen, exſectis Cybeles me reddite myſten

Teſtibus: at veri ſit mihi forma viri.
His nam ego ſi viduer, (vetet ô Cythera) puella
Nulla leget numeros, nec ferat vlla meos.

Iacobo Hayo, Vicecomiti Duncaſtrio.

Si mihi de Pario non ſurgat marmore tectum;
Nec camera auratas explicet vlla trabes;
Si mihi non tot ſint, quod iugera miluius errat,
Dum Sol ecciduo gurgite ſoluit equos:
Si procul & faſtus, & inanis nomina famæ;
Atque honor eſt tectis, ambitioque meis.
Pauper &, ignotæ traducens tempora vitæ,
A Ioue, & irato fulmine tutus eam.
Charus at Idalijs, at charus Apollinis vmbris,
Caſtaliam noto tramite carpo viam.
Inter & errantes hederas, laurúmque virentem,
Poſſum Aganippeâ carmen hiare lyra.
Carmen, quod Tragico feriat modo pulpita veſtu:
Et modo de ſocci legibus apta canat.
Carmen Acidalio modo quod rapiatur ab igne:
Seria vel poſitis temperet orſa iocis.
Ludicra nunc facili ioca ludimus ecce Camœnâ:
Et damus hos multo ſed ſine felle, ſiles.
Nugarum hic labor eſt, tamen hæc nugoſa Thalia
Iura patrocinij poſtulat Haye tui.
Si pudet illarum; (mihi munera nec ſuper vlla.)
Elige, vtrum nugas vis: an habere nihil.

In nobiliſsimam, longeque pulcherrimam vrbem, Londinum.

Nectaris æterni, pleno dum largius hauſtu,
Indulget, ſuperûm læta corona deûm;
Paulatim caluere animi, diſcordia pacem
Rupit; & in partes hos vocat, hoſque ſuas.
Londinum certamen erat: cui ſacra deorum,
Iudice ſub magno lis ſtetit illa Ioue.
Bella pater Mauors, artes Tritonia Pallas,
Regia diuitias nupta, ſororque refert.
Delitias Cypris, merces Cyllenius ales.
Neptunus Tameſin, æquora, vela, rates.
Delia venandi ſtudium. Phœbúſque Poetas.
Hippodates Zephyros, ſpicea dona Ceres.
Mulciber artificum fornaces. Díſque metalla.
At Bromius, patrij munera rara meri.
Hæc pater, vt vidit ſtudia exardere deorum,
Iuppiter, è ſolio talia verba dedit.
Vnum aliquem reliquæ, cunctas, quæ, ſola relinquit,
Vendicet hæc cunctos, vrbs, quóq; ſola deos,

Canace moribunda.

Das telum Macareu, telum, pater Aeole, nobis.
Hoc accendor amans, hoc moribunda cado.

Amico cuidam, veterum amicitiarum immemori.

Tu licet incedas Tyrio ſpectandus in oſtro,
Poſſideas quantum Lydius amnis obit,
Tu licet Aſſyrio flagres perfuſus amomo,

Stipite vel cosli mollis Achaemenij,
Ne tamen, ô, veteris sortis nos immemor, Aule,
Relliquias primæ, despice, amicitiæ.
Nec mage te Sophiæ præclaris artibus auctum
Rere, vel eloquio, consilioue grauem.
„Fallere si hæc credis, neque enim hoc multitu
præbent,
„Vt sit multiscius, qui modo erat sciolus.

De Pirami, & Thisbes morte.

Quos parilis, parili coniunxerat igne, Cupido.
Fata iubent, parili morte, perire pares.
Felices! vnus quos non disiunxerat ignis.
Vna dies, vnus terror, & vna quies.

De eorundem mortis modo.

Dum venit hic, timet hæc, hæc dum timet, hic ve
nit vltro.
Hic, illâ veniente cadit: venit illa, cadente hoc.

De iisdem.

Infelix spes, infelix promissio amantium,
Infelix nox, infelix ferale sepulchrum,
Infelix morus, fons, & spelunca Leonis,
Infelix vestis, nimis infelicia cuncta,
Qui poterant iuueni læta, aut spondere puellæ?

In Vatum, eximium potorem.

Humida perpetuum cur stillant lumina rorem:
Distendunt tumidam cur tibi vina gulam?
Cur solitus fugit ore color? geniumque labascit?
Pustula quid rubras pingit oborta genas?
Anne quod ars placuit nimium tibi, Vate, bibendi?
Ars noua, nec nostris cognita forsan auis.

Pænitet

Pœnitet at totas iam consumpsisse lucernas:
Inter & Euantes delituisse choros:
Iam placet, ardenti venerari numina curâ,
Et petitur canis iusta dieta comis.
At, melius iustam poteris seruare diotam;
Quum sit aquali culus, iusta diota tuus.

In Grammaticum vxorium.

Quod sis grammaticus, repetiti pagina Vallæ,
Quod medicus, medicâ clarus in arte Deus,
Quod vates, Aganippæo de fonte puellæ,
Quod sis Socraticus, fœmina sola dedit,

De Lepido, & coniuge febre laborante.

Duxerat illepidam, Lepidus, pro coniuge: eratque
Iuncta parum duro dira virago viro.
Viserat hanc rapidâ male tostam viscera febri;
Vtque stetit, vultus composuitque suos,
Quamnâ, ait, ô coniux, tua vis post funera, quamnâ
In nondum vacui parte cubare thori?
Audijt, & Stygij placeat tibi filia Ditis:
Ista premat nostri fulcra, ait, vna thori.
Cui Lepidus. vetat hoc pietas, castúmque cubile:
Tu mihi, tu Stygij nam soror ipsa Dei.

In Charidemum auarum.

Mutua quum centum nuper te forte rogarem.
Mutua tu centum mî, Charideme, negas.
Pauper eras memini, nunc ipso ditior auro:
Heic rogo te centum, mî, Charideme negas.
Mutua non cupio, centum mihi debita posco:
Debita sed centum mî, Charideme, negas.
Vsque negas? centum nec, si des mille ducenta,
Accipiam, tunc hîc mî Charideme negas?

De

De Mathone.

Dum Tullí, Matho, dũ chartis Demosthenis hæret,
Continuans noctem, peruigil, atque diem,
Plurimus assultans circum vndiq; & vndiq; pulex
Inuasit miseri colla, femurque viri.
Ille autem edoctus magni secreta Platonis,
Atque Stagiritæ clarus ab arte senis,
Exstinxit vigiles, prudens sapiénsque, lucernas;
Ne sese aspiciens, pungeret inde pulex.

In Niobem, ex græco Leonidæ.

Non iste tumulus mortuum intus contegit:
Supra nec iste habet sepulchrum mortuus:
Ipse at sepulchrum, & ipse mortuus sibi est.

De Phœbo amante.

Cæce puer, flammas quid flammis, ignibus ignes,
Addis; & accensæ vim, rabiémque faci?
Ille etenim, qui cuncta salo, cælóque, solóque,
Quíque alius vidit, quid sit amator, amat.
Tela! faces! pharetræque leues! quæ mira, vel ipsum
Si necet artificem vis geminata deum?

Adhuc.

Ah! vbi quæ densas claro splendore tenebras
Lux fugat? & tanti lumina tanta dei?
Lux sine lucis adest, lumen sine luminis vsu:
Nóxque latet flammis, Phœbe, diésque tuis.

Spes sine re.

Spes fugitiua diu, vultu manibúsque duorum,
Et Iouis, & geniti visa manere Ioue.
Non semel, illa meis auidè est quæsita Camænis:
Respuit instantes non semel illa preces.

Nunc

Nunc tandem, ſacræ poſt oſcula dulcia dextræ,
Indiuiſa meo eſt iuncta comes lateri.
Spem miſero vati tribuerunt oſcula dextræ:
Si rem contulerint, res mihi maior erit.

Ad amicum podagricum.

Quod modo te podagrâ, modo te doluiſſe podagrâ
Scribo, putas Muſas tu titubaſſe meas.
Ignoſcas, ſi quid pede nos peccauimus vno:
Námque pedes ſequitur, pes meus ille, tuos.

De ſe, ab emenſo curſu ſuo Philoſophico, 1614. in collegio regio Abredonenſi.

Teutonicum quà Deua ſubit, quà gemmifer æquor
Dona ſub Arctoo longior axe petit;
Quà geminæ, in geminis ſurgentes vallibus, vrbes,
Mercibus hæc, Muſis clarior illa ſuis,
Cenſentur gemino contingere vertice cœlum;
Et curæ ſummis hoc magis eſſe dijs;
Marria me tellus, voluentem vidit, ephœbum,
Scripta Stagiritæ docta, diſerta ſenis.
Tunc Elphinſtoniæ cuncta erudiere Camœnæ:
Et lauro noſtras impediere comas.
Penè puer ſic Philoſophus, me cuncta putabam
Scire vnum; & gremio cuncta latere meo.
„ Neſcio, nunc, qui cuncta ſciam: nam vix ſcio quicquam.
Vix ſcire & ſolum hoc me ſcio; ſcire nihil.

In Paulum ebrium.

Bellua ſemper eras, madidus nunc turpè Lyæo,
Non ſera tu ſolum, Paule, ſed es furia.
„ Quinam iſthuc rogitas? mores quoniam arguit
Cernere

Cernere nunc primùm factus es ante malus.

In curas, ex græco Palladæ.

„Si profit curas habuisse, habe, & anxius esto,
„Sin tu cura deo, quo tibi cura magis?
„Absque deo nimis haud doleas, curasue repellas,
„Nam quò aliquid curæ sit tibi, cura deo est.

Iacobo Hayo Viceconsiti Duncastrio.

Kal. Maij 1621.

Vnde forent Maio primùm data nomina mensi,
Inter præcipuas lis fuit orta deas:
A Maiâ voluit Cyllenide mellea Cypris,
A Maiestatis nomine nupta Iouis,
Maiorum à titulo dici Latonia virgo:
Quum Pallas reliquas constitit ante deas:
Et simul; hinc abeant lites. hæc ante fuerunt:
Nunc nostri ex Hayi nomine, Maius eat.

De Scotica religionis, reformatione.

Papa Caledoniæ dum religionis habenas
Rexit, erant miseris omnia plena malis.
Mox pia sacrilegæ succedens nata parenti,
Edocuit recto tramite ferre gradus.
Sed scelerata vno, templis dum auellit honorem,
Et Christi in *Chrestou* congerit omne suum.
O pietas, ô sæcla, superstitiosa priorum
Turba patrum, patriæ commoda turba tuæ,
O pietas, ô sæcla, ô tot rabiosa nouorum,
Turba patrum, patriæ commoda turba tuæ?
Certe, ego nescio quam laudem, damnemúe duarum
Impia te pietas; an pia te impietas.

In Gardinium, carmen amatorium scribere rogantem, amantium nomina subticentem.

Quid sine nominibus, summis sine partibus, ignes,
Vt geminus gemino pectore regnet amor,
scribere me cogis: cæcóque in amore morari:
Cæcáque ter cæci spicula ferre Dei?
Nomina Tenariæ si nusquam nota puellæ,
Nulla foret formæ Tyndari cura tuæ.
Si neque Mæoniâ legeretur scripta papyro,
Dura foret nullis Icaris vlla procis.
Hæc mihi si dederis, tibi posteriora canentur.
Nam mihi prima latent: posteriora patent.
Dissimilis dominæ quantum es, proh Iupiter illi!
Namque priora patent, posteriora latent.

D. Ioa. Scoto Scotoeruatio Equiti.

Si mea nil sapiunt, insulsáque carmina prostant,
Nec vena in numeris Bilbilis vlla meis, (scribat,
Res non mira equidē est epigrammata quis modò
Quum sine felle sales, quum sine melle iocos,
Scribere sit licitum: ridere aut ringere inausum:
Ludere molliculum: lædere triste malum.
Fas tantum laudare malos: applaudere amicis:
Tollere non dignos: dicere non meritos:
Atq; ita sors mala sit; nec prospera, Scote, necessum
Vt quò alijs placeam; displicuisse mihi.

In Imaginem Oli, Ex Græco incerti, in Sextum.

Hæc Oli meditatur imago. silet tamen ipse:
Rhetor imago fuit: sed imaginis Olus imago est.

Su-

Suprema Didûs querela, ad lacrymas suas.

Lucida quæ teneras fædasti guttula malas,
Iam mea fer Phrygio verba suprema duci.
Tristis hyems Nerei, rapidorum insania fratrum,
Detulit huc vestras trans freta longa rates.
Nubila tempestas, commistâ grandine ventus,
Spelæo iunctos detinuere duos.
Bruma rigens, Boreæ, & sæui violentia Nerei,
Promissam thalami dissoluere fidem. (dicas.
Quid quærar? ah, comites pudor est spectare pu-
Spernet in Elysijs fortè Sicheus agris.
Quæ mihi te attulerant, mihi te iunxere sub antro,
Cur soluunt dubiam ventus, & vnda fidem?

De morte sua ad eandem, & Sichæi sui mariti.

Hei! quam dissimiles tuæ fuerunt
Mors, & vita tui prius Sichæi!
Hei quam dissimiles! tuus Sichæus
Amentis cecidit dolis amici.
At tu, magno in amore, amans, & amens
Amantis cadis, ah, dolis amici.

Aeneæ, ad prædicta responsio.

Non thalami, Regina, fides, te læserat vlla,
Non comites ratibus ventus, & vnda meis.
Quid quereris? si testis Amor, si regia Iuno,
Hæc hostis: solus non sibi testis Amor.
Ni sunt nequitiæ, testes, testes, fugit ales,
Noli, testiculis credere tanta meis.

Iacobo

Iacobo, magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regi.

Aurea quum veteres agitarent sæcla parentes,
Qualia salciferi regna fuere senis,
Lex vetuit, superûm cœlestia numina Diuum,
Cernere mortali lumine posse homines.
Te tamen vt video, superos me cernere credo.
Aut Suadam, aut Musas, aut Sophiam, aut Charitas.
Nec tamen, aut legum violo decreta sacrarum:
Lædo nocens summos aut, Iacobe, deos.
Nempe, deum vt vetitum sub formâ cernere Diui;
Non vetitum est, hominem cernere posse deum.

De Priscilla.

An Priscilla Venus, Iuno, an Tritonia Pallas,
An mage delitijs Delia nata suis?
Non Venus est. namque vt pulchra', & mæcha, & bene compta;
Orchomeni comites non habet illa deas.
Non Iuno; nam vt Zelotypa est satis, atque superba
Ecquid habet quo sed nunc tueatur opum?
Non Pallas, namque & sat bellica, & vtilis armis,
Indocta, imprudens, ingeniosa minus.
Quidnam igitur? num fors erit hæc Latonia proles
Nec procul à genio dissidet illa deæ.
Vtraque cornuta est. & sæpius vtraque pernox.
Vtraque pleno orbe est, dimidioue minor:
Eclipses patitur sæpe vtraque: scilicet vsque hæc
Defectu fratris; pixidis illa suæ,
Mobilis, inconstans, incerta est vtraque multum.
Vtraque splendidula est. vtraque blandidula est.

Vtraque

Vtraque venatrix; atque vtraque retia tendit:
Illa feras iuuenes captat: at illa feros.
Aduersum per iter solet vtraque tendere gressum:
Illa polo melius, rectius illa solo.
Vtraque nocturno nunquam lassata labore.
Priscillam Ortygiam quis neget ergo deam?

De Cupidine, & Vulcano.

Viderat Idalium flectentem cornua Diuum
Lemnius, & vultu talia toruus ait.
Pone arcum furibunde puer, celeresque sagittas;
Telaque maiori tanta relinque Deo.
Nam grauis es cunctis; patri quoque noxius: inde
Tot mihi de læso iurgia nata thoro.
Cui puer hæc Veneris, quod si mea Lemnie, ponam
Anne minus, nostris altera tela dijs?

Dauidi Rhæto, collegij regij Abredonensis moderatori.

Rhæte, qui ab historico moderaris quinte Boethio,
Magna Elphinstoniæ gloria, Rhæte, scholæ.
Annya restituis qui pensa, & diruta, rursus
Artifici curas ædificanda manu.
Sic tibi fœlices anni, facilisque senectus,
Sic reliquum vitæ molle sit omne tuæ.
Paulum agedum assiduo temet furare labori.
Otia da Musis quantulacunque meis.
Dicere dum saluere tibi, possintque valere,
Elige vtrum cupias. sed modo, Rhæte, vale.

Venus Adonidem basians in tabula.

Basia de pueri decerpsi, mille labellis.
Si potero artificem flectere, plura dabo,

In

In tabulam, vbi pictus Adonis dormiens.

Comprime, quisquis ades, vocemque, gradumque viator:
Heic spes, heic Veneris gaudia, dormit Adon.

In tabulam, vbi Mars Venerem basiabat.

Tutius ante boni poteratis ludere amantes,
Nunc est deprensi, credite, pœna focus.

In Buchanano-mastigis Onopordi, arroganliam.

Aonios proceres, & notæ nomina famæ,
Scaliger, Aonijs notus & ipse iugis,
Contulit. & pulsu, Censor, testudinis aureæ,
Admonuit, quidnam fásque, nefásque foret.
Vni Virgilio, genij miratus acumen
Vatis, & Aonio pectora plena deo,
Aeternas æterno aras erexit honore:
Forsitan & Phœbum credidit esse suum.
Hei mihi! quod tu non illis, Onoporde, diebus,
Mouisti Clariæ plectra sonora lyræ.
Cui modo, Fergusidos Maro cedere dicitur oræ;
Qui Banni liquidas carmine mulsit aquas.
Quid tibi pro meritis, quid pro tam fortibus ausis,
Debet, Hyanthæi præses Apollo chori?
Quid tibi doctorum tribuet schola tota virorum?
Quid mens Scaligeri, iudiciúmque senis?
Nescio, credo tamen (si quid mens augurat apte)
Illi aras, tibi sed constituisset haras.

Amico

Amico, vt relicta pellice, ad Musas redeat.

Ergo nequitijs suis Neæra,
Ergo, blanditijs suis Neæra,
Nugis, basiolis, iocis, cachinnis,
Arctè, te gremio fouet calenti?
Et nunquam Aonias miser sorores,
Oblitus Veneris, Cupidinísque
Insani, repetes? quid illa crinem
Laudat? quid placidum fauente Musâ
Carmen? quid queritur tuis gemellis
Totam se miseram perire ocellis;
Ah! ah! crede mihi, nec ista crinem,
Nec te diligit vt Neæra crimen,
Nec carmen placidum, vt Neæra carnem.
Nec istos oculos, vtî locellos.
Hos, hos diligit; hos petit, cupítque.

Copula amicitiæ nouæ, ad Henricum Danskinum.

Iungere discordes, lites finire cruentas,
Possit quâ fieri conditione, petis?
Sit, Danskine, tibi Bacchus pater vnio. námque
„Copula amicitiæ pocula plena nouæ.

Georgii Humii, Comitis Dunbari, Epitaphium.

Magne iaces, Regi magno, Dunbare, secundus,
Liuor & in tumulo te moriente tuo.
Fors facilis fouit, dum fata, Deúsque fouebant.
Quæ, ne te fugiat, tu prior ipse fugis.

In

In peſsimæ vxoris maritum.

Iam nihil Eumenides, nihil eſt Deois, & angues;
Iam nihil eſt nigri Ianitor ille dei.
Sola tua Eumenides, ſola eſt Deois, & angues,
Sola tua eſt nigri Ianitor illa dei.
Immo, vni Eumenides cedunt, Deois, & angues,
Quíque ſedet nigri Ianitor ille dei.

Adhuc, ad Theleſinum maritum.

Accipe iudicium veteris, Theleſine, ſodalis,
Vxorem qualem credimus eſſe tuam.
Dira, ſeuera, cruenta, bonis odioſa virago eſt.
Tota labor, noctu, tota dolórque diu.
Denique, & Abſyrti, & Pelopis ſoror, vna fuiſſet;
Si qua forent Samij dogmata vera ſenis.

Muſis conqueritur de conditione vatum huius æui.

Quid precor hoc Muſæ? quænam eſt ſeges iſta malorum?
Non licet, & nobis vatibus eſſe licet.
Edere non licitum, ſi quicquam inueni mus ipſi.
Dictauit Genius, quod Clariúſque deus.
Edere cuncta licet quæ aliquando rogauit amicus:
Fortunæ inſtiterit quolibet ille gradu.
Scilicet hoc aliorum ex pectore ſcribere carmen,
Et Genio tantum viuere ab alterius.
At nihil eſt, vates rectè quad ſcribat adactus,
Ducitur a Genio nobilioris heri.
Nunc tantum ad thalamos, tumulóſque vocamur inertes.
Quineti am ſcelus eſt nixibus eſſe procul,
Aut ludos canimus; aut reditúſue, abitúſue, ſodalis.

Som-

Somniáue, aut dominæ munera rara nouæ,
Pingimus aut lachrymas elegis pereuntis amici.
Gaudia vel numeris noctis amica damus?
Tale quid, aut aliud. ſic, qui velit eſſe poeta;
Pro vate, hic, Mimus, vel Cytharœdus erit.

In Mathildin Syluiam, à Balbegno.

Si fuit à multis multum cantata poetis
Tyndaris, Iliaci ſola ruina ſoli;
Si fuit à multis multum cantata poetis
Caſta inter medios, Penelopeia, procos;
Illa quod à multis fuerit repetita carinis,
Quod foret à multis iſta petita procis.
Tum poteris ſimul vna, ambobus digna videri:
Et repeti ratibus mille, petíque procis.

Eadem, de raptu, breui coniugio, & morte ſua alloquitur Dianam.

Delia, virgo tuis placui benè, Syluia, ſyluis.
Et fueram Nymphis plus tibi nota tuis.
Fortè, pererratis dum verno tempore campis,
Depono tenerum feſſa labore latus;
Ecce repente ruunt Satyri, Faunique bicornes:
Et reſonat blandos turba petulca modos.
Miſit amor narrant, promitto dulcia, fallens:
Sic fugi cupidas, caſta puella manus,
Ergo vbi ſe vidit ſpretum, & ſua tela, Cupido;
Tincta venenato ſpicula felle trahit.
Mors properans, arcúmque tenens, pharetrámque recludens,
Fixit lethifero pectora, prima, malo.
Sic dum vulnificis me certant figere telis;
Præda fui binis, vna puella, dijs.

Iacobi

Iacobo, Britanniarum Regi.

Cur ego despicior multis? quia stultus, & excors.
Cur stultus? quoniam semper egenus eo.
Si quanam sed egenus eam ratione, requiras;
Fortunæ vitio, non, Iacobe, meo.

In Pthirogrammum Grammaticum, ad Sextum.

Hic, cui φθεῖρ, κ γρα μμα, dedit miserabile nomen,
Gallinæ sterilis, Sexte, vir, anne potens?
Rumor in ambiguo est. clamant genitalia gallum;
At coniux, quod non arrigat, Aula, capum,
Quidnam igitur? poterît neutrumne an vtrumque videri?
Quaue magis gallus, quâ mage parte capo?
„Esse nihil sine posse valet, sine mente, cucullus.
„Turpior & gallo est, bellua nulla capo.

D. Ioanni Scoto Scoto-teruatio equiti, Regiæ Cancellariæ, in Scotia, Directori.

An sequar? an positis desistam scribere Musis,
Præsidium Musæ, Scote, decusque meæ?
Obstat, & incæptum grauiter remoratur amicus.
Et quid, ait, sterili semina credis agro?
Sæpe mihi pietas, nostræ certamina palmæ
Aggredere. hæc mimo desere Pantalabo.
Vrbem odi, strepitúmque fori, vultúmque senatus,
Offuit ingenio, Panthea, sæpe meo.
Blandula lætities Scoticis procul exulat oris,
Nemo artis socius, nemo patronus adest.

Quinam igitur ſcribam, poſitis Epigrammata curis,
Lerna mali Muſas quùm grauet iſta meas?

De Bardella latrone, ex Audoeni Epigram. Lib. I.

Dum Phlegetonteam ſpectat Bardella carinam,
Et prope Letheæ turbida ſigna deæ,
Ecce cucullatus, cœlcſti è nectare, myſtes,
Et tibi, ait, celſo cæna parata polo eſt.
Cui Bardella, pater, ſi tam bona cæna parata eſt,
Hanc cape: ſat ſtomacho terrea cæna meo.

Adhuc.

Dum nectar, plenis dum cæli ſercula buccis,
Bardellâ, monachus, iam moriente refert.
Si tam lauta, latro reſpondet, cæna videtur;
Sit tibi noſtra polo: ſit mihi veſtra ſolo.

Ad Patricium Iunium, Bibliothecarium Regium, in auaros.

Nil habet infelix proprium quod dicat auarus,
Congerat Attalicas vel licet vnus opes.
Sed ſitit inter aquas, oculiſque fugacia cernens,
Ingemit à labris, poma, volare ſuis.
Dúmque capit, capitur. dum nectit, nectitur. & ſic
Hic famulus, domino dat noua iura ſuo.
Nomen Amicitiæ, Iuni, haud ignobile noſtræ,
Quis miſer? an dominus, an magis hic famulus?

In Lamberianum ebrioſum.

Ducere te nullam niſi quæ ſit docta, puellam,
Iuraſti decies, Lamberiane, die.
Nubere te vxori, ſed eam te ducere mallem.
Si titubes, mediâ dux erit illa viâ.

In

In Chreſtum, inter ludendum iratum.

Inſanis, clamas, conuitia ſpargis in omnes,
Quum ſorte ludo, Chreſte, victus aleæ
Abſcedis; quaſi ſint hæc ſeria, ludicra quum ſint:
Et fortuitæ iactus impotens deæ.
„Manſuetis, (neſcis) luſus ſunt iſta; malignis,
„Dementibúſque, rabies, & furor, & dolor.
Quorſum ergo inſanis? quorſum conuitia ſpargis?
Aut cede victus, Chreſte: ſpem vel erige:
„Prudentíque viro nunquam crede eſſe decorum,
„Dolere ludis: ſerijſue ludere.

Ioanni, & Roberto, Baronijs, conſobrinis ſuis.

Dicite, Baroni, cur, cùm res cuncta grauetur,
Nec ſuperiniecto pondere ſit leuior:
Vuica virginitas, placidis onerosa puellis,
Sic, ſuperniectâ ſit grauitate leuis?

De Pantaleonte, & Venerilla.

Cur ſtudioſa diu, noctúque aduerſa marito,
Cæperat vxorem quærere Pantaleon.
Cui bona, ſolicitas ridens, Venerilla, querelas,
Reddidit adiunctis talia verba minis.
Quid miſer iſta rogas? in publica commoda peccas,
Si non hæc dominæ vis dare iura tuæ.
Nam qui nos iunxit, tibi me parere diebus,
Non iuſſit famulam noctibus eſſe tuam.

Danidi Leochæo, à Mounſemille, ſuo, de vſurerum.

„Vtere præſenti. famulus tibi ſeruiat aurum.
„Triſtior eſt nummo vis quia nulla deo.

Cur tibi diuitiæ, si te argentata cupido
Iusserit aurato subdere colla iugo?
Si tibi nam præsens pariat fastidia nummus,
Nî tua quæ non sunt, feceris esse tua:
Fors, Leochæe, suum Fortuna volubilis axem
Vertet. erit letho hæc tristior hora tuo.
Tunc te aliquis nato cupiens suspendere adunco,
Preteriens, salsâ scommata voce dabit.
Hinc procul ad coruos. nam dum tibi cuncta, ca-
rebas:
Nunc cunctis careas, cùm tibi, auare, nihil.

In calamum scriptorium.

Muta modo, obstreperæ volucris, quæ penna vocabar,
Carpere securas aere sueta vias,
Cultellis, sæui ferulâ, scuticaque magistri
Appetor: & pueris victima grata cado.
Ventre tamen fosso prius, & letalia fisso
Cogor ego tergo vulnera sæpe pati.
Sed tamen hunc nostrum solatur Musa dolorem,
Quæ dedit ad varios ora resecta modos
Quo, (si fors dabitur nigri mihi copia potus,)
Tullius, Hippocrates, Zeno, & Homerus ero.

Adhuc.

Muta prius, volucris fueram quæ penna loquacis,
Quum tua sum, cæpi verba diserta loqui.

Adhuc.

Muta, in aui obstreperâ viuebam; muta trucidor,
Nunc loquor, in mutâ mortua penna manu.

Eidem

Iacobo Macaloni, Doctori Medico.

Venatus Dryadis, ſyluæque, Venuſque, puerque,
Atque dijs comites tres bona turba canes,
Qui pariles annis, Macalo, ſed diſpare formâ,
Et quorum è numero longior vnus erat,
Obieſſique aditus, certamina, ſanguis, & imber
Lactis, & hinc pugnæ meta, Trophea, feræ,
Quicquid & vlterius nimium ludente Thaliâ
Aut cecini, aut viſus ſum ceciniſſe tibi,
Cura Caledonij Iouis, atque Antiſtitis ire,
Ire, procul numeris iuſſit & eſſe meis.
Hæc ſolum è libris potuerunt tollere: ſed te,
Nec, Macalo, è libro; nec, Macalo, ex animo.

Gualtero Donaldſono, Poetæ laureato.

„Hoc ſapere, hoc cunctis vacuum bene viuere curis,
„Tandem Aganippeas linquere poſſe Deas.
„Infelix quicunque illo, Gualtere, furore
„Ebrius, Aonias largius hauſit aquas!
„Infelix, Clariâ quiſquis proſtratus in herbâ,
„Phœbeum aſſiduo pectine pulſat ebur:
O ſi, me vlla dies, procul iſto fonte relicto,
Exulem in ignotâ viuere malit humo!
Tunc ego, vel certas rerum perquirere cauſas
Auderem: aut magni myſtica ſacra dei.
„Quid patriæ, quid deinde mihi magis vtile ſcirem,
Et quo nunc deceat viuere quemque modo.
Nec tamen, Aonias pudor eſt coluiſſe ſorores.
Aut prece Caſtalium ſollicitaſſe deum.
„Sed piget ingrati nimium, Gualtere, laboris.
„Sed piget vnâ operam perdere, & vnâ oleam.

„Hæc noua triſtitias cura aggrauat vnica cunctas.
„Nam, Cererc, & Bromio quid ſine Muſa canis?
Aulæ igitur fatuus, docto derifio regi,
Indocto, niſi agat pectora Mars, odium,
Fortunâ miſer, ingenio veſanus, haberi
Qui velit Aoniæ pocula potet aquæ.

Lectori.

Si totus placeat; totum tibi perlege librum.
Sin minus, at totum perlege dimidium:
Si neque dimidium, medij mediúmue placebit;
In medio medij margine finis erit.

Libri primi finis.

EPIGRAMMATVM.

Liber, 2.

De se, & suis studijs.

AN leuiore luto finxit mihi pectora Titan?
Affuit an cunis sydus inane meis?
Stultus, & insanus credor, similísque furenti,
Et prope Letheæ gurgite mersus aquæ;
Otia Pierijs dederim quod libera Musis:
Solicitans omnes in mea vota Deas.
Credite mî, talis facit indignatio laudem.
Dedecus hoc, magnum dat mihi ferre decus.
Namque, sat optaui tacitâ prece numen amicum,
Si modo, Castalij pars ego parua chori.

D. Iacobo Fullartono, equiti, ab intimis Caroli Principis cubiculis, librum mittit.

Si vultum metuis Catonianum,
Si frontem Curij, quid incitatâ
Festinas, miser ô libelle, plantâ,
Fullartonum adijsse? teque vano

Frustra

Frustra obtrudere derepentè palpo?
Nescis nunc genus hoc Patronulorum,
Quos si elegeris, obsecraueríue,
Multum exceptus ab omnibus, cachinno;
Nasi pondus eris miselle adunci.
Nescis hoc Criticûm genus molestum,
Qui regalia tecta confrequentant,
Hi si in præcipuis, dijsque vatum,
Totus queis Helicon patet recessus,
Requirant aliquid: quid ô libelle,
De te, quid Domino tuóque fiet:
Cui vix somnia Pindus est, bicé psque
Parnassi caput, & latex cabelli.
Sed te propositi tui tenacem,
Non hæc vlla monent: viáque terrent.
I, grauis licet ille, non seuerus,
Non tristis nimium, nec est molestus:
I, grauis licet ille, doctus idem est:
Et doctos qui amet vnicè poetas.
Doctum ergo, liber, & grauem patronum,
Saltem tu hoc poteris rogare gratis:
Vt si non amet ipse tot cachinnos,
At doctum se apud, & grauem patronum,
Indocto simul, & leui libello
Concedat tibi: ludere, & iocari.
Gaudere, atque tuis mori cachinnis.

De Medico, et Grammatico, ad Græcum Agathiæ.

Grammatico Medicus natum mandarat alendum,
Atque imbuendum literis,

Prz-

Presertim Graijs; sed postquam [illegible],
Atque [illegible],dein,
[illegible]
Didicit repentè filius,
Non voluit Medicus natum vltra scire: magistro,
Verum obuiam casu datus,
Gracia,amice,tibi debetur plurima apud me,
Semperque ait debebitur.
Sed natus potis hæc de me quoque scire magistro,
Quæ illum docere cœperas:
Namque & ego [illegible]
Operâ haud egenus heic tuâ.

Brisеis de se,

Bella fui, nam bella viro,nam bella tyranno,
Totaque sunt vitæ tempora bella meæ.

Expositio mali Acontij, literas insculptas habentis.

Ecquid nam hoc mythici quondam voluere poetæ:
Quid sibi vult malo littera sculpta suo?
Anne aliud malum,blandæ quam Cypridis hortus?
Sculpseris hìc, votis cedet amica tuis.

De Ioue Europam rapiente.

Dum veheret Tyriæ dilectum pondus amicæ,
Et iam iam è medijs Iupiter isset aquis,
Sidoni,quid gemitus, quid suspiramina fundis.
Inquit; & effusis ora rigantur aquis?
Non ego sum pecudum taurus de gente tuarum,
Nec mihi lac vitulo de grege vacca dedit
Sub formâ latet hac,cælorum æterna potestas.
Sub formâ latet hac,réxque,patérque deûm.

Tu tellure feres, pelago te, Nympha, ferebam,
Vectori pretium ferre, ferendo decet.

Britanniarum Regi, Iacobo.

Si nisi opes solis, Rex, ditibus, optime, dantur:
Si nisi possideam pauper, egentis opes:
Semper opes alijs, mihi nullâ sorte dabuntur:
Sic ego, perpetuò, pauper, egenus ero.
Dura nimis vatum sors hæc; contraria vestræ,
Qui fertis iustâ sceptra beata manu.
Mæoniden fileo: Clariæ pater ipse cohortis,
Pauisse Admeti fertur Apollo greges.
Tu tamen Arctoas torques qui legibus oras,
Quà Taus, iriguis, Banna'it, & Humber, aquis;
Omnia qui vincis, potes hanc quoq; vincere sorte,
Quæ premit ingenium, debilitárque meum.
Vera etenim vatis quo sit sententia, ludens
Da mihi diuitias: auferat alter opes.

Eidem.

Nascenti, superi sua munera larga dedere:
Sola mihi coniux dura, sorórque Iouis,
At Parcæ, facili pernentes stamine fila,
Quod Iuno abnuerit, Iupiter ipse dabit.
Quas mihi diuitias Iuno abnuit, annue Regum
Maxime; tu certè Iupiter ille meus.

Iacobus Britanniarum Rex inter flores erraus. Kal. Maij 1621.

Inter dum flores, flos regum molliter errat,
Chloris odoratos florea picta sinus,
Se regi, quo non maior, neque iustior alter,
Obtulit ac tales fudit ab ore sonos.
Si mea cum Zephyro valuissent vota; virerent

Her

Heic modo purpureis lilia mixta roſis.

Idem, inter arbores errans, eodem tempore.

Inter Hamadryadas, qui ſceptra Británica torquet,
Quum Taurum auerſis ſol fugiebat equis,
Errabat; procerumque ſimul lectiſſima turba;
Ante louem vt reliqui ſtant in honore Dij,
Gaudebant Nymphæ decerptas arbore frondes:
Et cui de ſyluis nomina magna Deus. (uam:
Sed doluere tamen, laurum heic, neque creſcere oli-
Serperet in ſacras, hæc vt, & illa comas.

Ex græco incerti. in Luſciniam, cicadam ad pullos, in nidum, ore ferentem.

Puella, melle quæ nutriris, Attica,
Prædam & cicadam, garrula ipſa garrulam,
Volucribus aptum corripis pullis cibum:
Pennata pennatam affabre hoſpes hoſpitem:
Et verna vernam: quid, nec abjicis cito?
„Neque enim eſſe iuſtum, fáſque rere, Muſicis
„Perire ſæuùm Muſicos ab oribus.

In Olidum Phantium.

Anguis virentem non amare fraxinum,
Non braſſicam vitis ſolet.
Lupis, & agnis, nulla par concordia.
Par nulla feli, & muribus.
Barrum, draconi, & noxijs ſerpentibus
Camelo, equum quis iunxerit?
Quæ blanda niſos diligit columbula?
Quis ſcorpionem ſtellio?
Carebum an vlla, Polypúmue ſecula,
Videre amoris in iugo?

Panthe-

Panthera hyenas,& lacerta cochleas,
Fugitque balæna orculas.
Et toxicatam te malorum originem,
Mens horret hæc medullitus.
Non fulminanti qui triſulca dexterâ
Detorquet altus ſpicula,
Nec qui leonem,taurum,Echidnam,vicerat,
Equoſque Thracis,Hercules;
Peſtem bonorum te, mihi coniunxerit:
Pari parem concordiâ.
Pari imparem te,aut imparem pari,volo,aut
Pari parem diſcordiâ.

Georgio Villerio, Marchioni Buequhangamio.

Delitiæ noſtri dulces Iouis;ora Britannis,
Clauſaque cui occiduis paret Ierna vadis,
Pergratum Phœbo merito caput atque Camœnis,
Si fauſtum à villa nomen, & ære mihi.
Nec ſupplex quæ vota tuli, ſine ferre procellas;
Diluat vt mediis turbidus Auſter aquis.
Forſitan,& noſtris aliquid debere Camœnis,
Aut honor,aut veſtri nominis aura poteſt.
„Carminibus viuunt vatum regéſque ducéſque,
„Qui nunc cunque virûm docta per ora volant.
Tu quoque,ſi mea quis tangit præcordia Phœbus,
Sis quis ego fati lege ſolutus ero,
Aeternùm,æternus,ventura in ſecula viues:
Nulla, heros, nomen neſciet hora tuum.
Tu tantum,mihi te cauſam debere canendi,
Te debere mihi, carminnis orſa ſine.

Iacobo

Iacobo Hayo, Vicecomiti Duncaſtrio.

Tunſa velut dubijs pinus Neptunia ventis,
Ludibrium irato quæ modo facta mari,
Nunc male luxatis, laterum compagibus, omnem
Nunc hyemem ſummis accipit vda foris;
Aggere nunc vaſtæ præcingitur vndique arenæ,
Nunc temerè ad ſcopulos, cæcáue ſaxa fugit,
Donec ad Oebalios precibus deſcendere fratres,
Aut placitum pelagi ſollicitare Deos,
Tunc Boreæ ponunt flatus. tum ſternitur vnda;
Tunc portum optato remige prora ſubit.
Sic ego, perpetuo iactatus turbine rerum,
Obruor infeſtis penè; premórque malis.
Nec lateri ſors dura meo diſcedit: at vſque,
Luce mihi miſero, nocte ſedéque comes.
Tu, quam ſæpe alijs, fer opem mihi, nobile germen
Hayorum: & tandem ſpes modo certa veni.
Nerea tu, pro me, terræque, vndæque potentem,
Et pelagi reliquos deuenerare deos.
Quod ſi præſtiteris, pellásque has, Haye, procellas:
Tum mihi tu Pollux; tum mihi Caſtor eris.

De Eua, & Cydippe.

Cydippen error ſimilis delu ſit, & Euam:
Falſáque erat malis vtraque Nympha datis:
Aſt hæc capta viro: vir captus ab illius igne.
Ludit vt hæc, cupido luditur illa viro.

In Cæliam.

Cælia, de cælis ſe ducere nomina credit,
Cælia, cælicolis par ſibi viſa tribus.
Par ſibi viſa tribus, geminis non æqua deabus.
Par geminis, vni non tamen æqua deæ;

At si forte scelus de cælis nomina ducit,
Diua sit arbitrio, Cælia nostra suo.

In eandem.

Cælia, celicolis similis sibi sola videtur:
Sola sibi Pallas: sola superba Venus.
Cæli progenies, ducat quum, ignobile scortum,
Stemmata de scroto, fur generose, tuo.

De quodam, qui se ante mortem sepeliuit ex græco Macedonii.

Senex egenus, nemo quum mortalium
Stipem petenti ferre vellet, paululum
Tremulis sepulchrum hoc artubus subij: & malæ
Vitæ, quietum terminum, vix denique
Potui inuenire, lex mutata funditus
Sed mortuorum, in me vnico: nam cæteros
Obire mos primùm; hinc sepulchro contegi.
Non hoc mihi fas. sed, me me ipse quam miser
Tumulo induissem, cæpi obire protenus.

In Aulum.

Quid rear? æstiuos vrit dum Sirius agros,
Chlæna tibi, brumæ tempore læna placet.
Vtraque culta satis, satis vtraque stulta videtur.
Vtraque Panchæas spirat odora rosas.
Vtraque mobilibus multum inconstantior Euris.
Vtraque quæsito tincta colore nitet.
Vtraque spectari gaudet, gaudétque probari.
Vtraque diuersis est magis apta viris.
Quum tam sint similes, Aule, vnâ in parte recedunt;
Hæc oculos, illa oculos haurit at illa tuos.

Herculis

Herculis in Oeta verba nouiſſima.

Magnus vt ardentem inſiliit Tyrinthius Oetam;
Hos dedit extremos fortiter ore ſonos:
Hæc dimiſſa à me, Neſſum ſtrauere, venena:
Miſſa à te, dominum, Deianira, tuum.
Sic, neque me alterius validi potuere lacerti
Sternere, ſanguineo nec ferus enſe Deus,
Sed tu, quæ Lybicos viciſti ſola leones,
Viciſti & dominum, dextera noſtra, tuum.

Idem de ſe.

Non Leo, Taurus, Aper, Paſtor, Buſiris, Echidna,
Non Thrax, Augias, Cerua, aurea poma, Volucres,
Partheniúmue nemus, Stygii non ianitor antri,
Euandríue hoſtis, cælatus baltheus, Elis,
Centauríue alacres, neque magni pondera cæli
Vincere me poterant, cataphractum vicit inermis
Fœmina ter, terníſque dolis, triplicíque figurâ;
Iuno, Iole, Altheis, Dea, pellex, ſponſa relicta;
Diua labore: thoro pellex: & munere ſponſa.

Adhuc de ſe.

Hoſtes Iuno dedit; ſed Amor ſubiecit amicæ:
Intereo donis, Deianira, tuis.

Contrarium.

Nomen Iuno dedit, ſed Amor ſubiecit amicam:
Viuo deus donis, Deianira, tuis.

In Cheroſtratum, ſenem podagricum.

Scripſerat hæredem ſibi me cheroſtratus, ille
Cuius in articulis dura podagra latet;
Dumque inhiat loculis, dum teſtamenta reſignat,

Hæc

Hæc, ait, arbitrio ingera lata tuo
Subdimus; & terris dominum te dicimus illis:
Fac modo consilij sit tibi cura mei.
Fac quicquid iubeam ne latum excesseris vnguem,
At totum arbitrio te dabis vsque meo.
Dure senex, ego sic semper tua iura capessam?
Subdam ego seruitio libera colla tuo?
Non ita. quære alios cui testamenta resignes;
Hac emo non curas conditione tuas.

Ioanni Grämo, Comiti Montisfo-sarum.

Si virtus tua, tot trium sororum
Meræ deliciæ, meri lepores,
Si mens Orchomeni domus puellis,
Si pectus penetrale tot Sophorum,
Si sanguis proauûm, tuæque gentis
Splendores, titulíque tanti honorum,
Humano veniant sonanda plectro;
Si curtis Epigrammatúmue gyris,
Laudum iam merita ampla tot tuarum
Claudi lege queant: quis inuidebit
Istam mî improbulus beatitatem?
Te, tuúmque simul perenne nomen,
Princeps Græmiadum, decúsque solum,
Ad cælum lepido vocare versu?
Verum quum genij mei hoc neget sors,
Et lex Bilbilides vetet Camœnæ;
Quæ certo properans leuis rotatu,
Ceu Progne volat imminente vere.
(Stagnorum, aut lacuum strepente penna
Semper summa petens sed ima linquens.)

Qui

Quare, quod licet, admouebo labris
Tacentem digitum: & diu silendo,
Muti me Harpocratis dabo sodalem.

De Venere picta.

Dum Venerem Getico Mars fessus puluere cernit;
Flexit equos, curru desiluítque suo.
Et quid, ait, Cytherea, nocet noua bella ciere?
Sed non inuentâ risit acerbà Deâ.

In Narcissum pictum.

Illud erat, quod tu prius, ô Narcisse, peristi,
Nec dum etiam, à liquidis ora mouebis aquis?

In Grammaticum, vxori pulcherrimæ ob furta thori infensum.

O facinus! tantæ nil prodest gratia formæ?
Nil bene conspicuo qui decor ore nitet?
Quæque valent superâ traxisse è sede Tonantem,
Blæsula sub roseis condita verba labris?
Dure vir ô nimium, Lernæâ sæuior hydrâ,
Verberibus dominæ non nisi note tuæ,
Si tua forte aliquis fixisset membra Priapus;
Fixissent dominam non aliena tuam.

Extrema Leandri, ad Venerem, & Cupidinem verba.

Hellespontiacis fessus Leander in vndis,
Has fudit Veneri supplice voce preces.
Diua Venus, generata salo, succurre cadenti:
Si tibi cum vitreo gratia tanta deo.
At si nulla; vrit, tua, quid diuósque, hominésque,
Si non & liquidas flamma perurit aquas.

Herus verba nouissima, quum se precipitem de turri, in Hellespontum datura esset.

Vidit vt æquoreis absorptum, sestias, vndis
Leandrum, rapido ludibrium ire freto:
Ter pectus nitidis, quater & percussa lacertis,
Vulsa comas, roseas & laniata genas,
Ascensu summi superat fastigia tecti:
Præceps in liquidas defiluítque vias.
Sed prius hæc. quia sum tua castra sequuta, Cupido;
Da, quicum haud potui viuere, posse mori.

Nutricis, alumnæ suæ Herus cineres, condentis, verba.

Tristè, Herus cineres, nutrix, dum conderet vrnâ,
Fudisse hos tremulo dicitur ore sonos.
„A pelago, à pelago, moneo, discedite amantes,
„Nec posthac liquidis credite multà vadis.
Orta mari Venus est, fateor. sed nil iuuat istud,
Imperet æquoreis quum deus alter aquis.

Gulielmi Turingi, Fouerangii, die 8. post nuptias celebratas mortui, memoriæ.

Ecce iacet, proauos, atauos, intérque parentes,
Turingus, gentis spésque, decúsque suæ.
Cui dum intentat Amor iaculum, mors sæua peper-
cit:
Scilicet, vt telis perderet ipsa suis.

Roberto

Roberto Dunbaro, Moraviensi, præceptori quondam suo in Philosophicis.

Dogmata qui sophiæ primus mihi pura dedisti,
Docta Stagiritæ dum colo scripta senis:
Consule nunc cui me studio, Dunbare, sacrabo:
Aut vitæ insistam quod melioris iter.
Ars tua Philosophum fecit: Natura poetam.
Nunc mihi ab alterutro nil, nisi dira fames.
Quin age Theologus, Medicus, iurisue peritus
sis, ais: horum omnes arca flagellat opes.
sed mihi non animas, non corpora lædere cordi:
Litibus implicitum nec iuuat ire foras,
Ergo famem haud poteris humeris depellere, reddis
sat, Dunbare, mihi; si modo ventre abigam.
Nec sic ventre abiges, inquis. fallare necesse est;
Nam mihi adhuc supersit terna ineunda via.
si neque Theologus, Medicus, iurisue peritus,
Morio, vel palpo, vel cytharædus ero.

De Venere et Pallade.

Cyprida, Cecropias Pallas quæ protegit arces,
Ad speculum flauas ponere lege comas
Viderat; & nullâ comptis, ait, arte capillis,
Vix homini poteris, nè placuisse Deo.
Cui Venus. at cunctâ positis tu lege capillis,
Vix homini poteris, nè placuisse Deo.

Ad Priscillam.

Quum primum mihi nota; tum pudica,
Casta, sobria, continens, modesta,
Et quantum pote plurimum venusta.

Te paucos ego iam dies reliqui,
Et te deseris; impudica facta,
Et mæcha, ebria, turpis, & molesta,
Et quantum pote, plurimùm inuenusta.
Qui factum rogo? num Venus iocosa,
Num dulces ita Cypridos choreæ?
Eho. iam video quid isthuc olim,
Quod dici solitum, velit, puella;
Intestina semel periculosum,
Degustasse labris, canum, supremis.

Phœdræ Epitaphium.

Ecce hìc, Dictæi soboles suspecta Tyranni
Phœdra, at Pasiphaes filia vera, iacet.
Quæ pariter sobolem patris, sobolisque parentem
Arsit: & heic parirer compos, & impos erat.
Credita casta satis, cuperet quum incesta fuisse,
Quum foret incestus, qui mage castus erat.
Et iuueni, & malefida seni, natóque patríque;
Hoc meruit, Iuuenis, quo, perijsse, modo.

In tractatum Theoreticum, & Practicũ Ioannis Macalonis, Doctoris Medici Regii, de lue Venerea.

Forte Venus Paphiâ paulum requieuerat vmbrâ;
Et comitem aligerum iusserat esse Deum.
Affuit &, Phœbo, Nymphaque Coronide natus.
Affuit &, Clarij præses Apollo chori.
Quum subito, motis ales Cythereius alis,
Auolat: & matrem, deseruítque Deos.
Ingemuit pater Aonius. Venus aurea risit.
Conticuit natus Nympha Coroni tuus.

Dum

Diua rogat gemitus cauſam: tacitíque doloris.
Cui deus amotâ blandus Apollo lyrâ.
Scis, quod, Diua rogas, puer hic tuus omnia turbat,
Téque ferox iaculis, méque, patrémque petit.
Hæc pater. at natus; non ille, ait, omnia turbat,
Pars Venus & tanti cæpit at eſſe mali.
Námque lue horrendâ mortalia corpora nuper
Cæpit, & ignotis excruciare modis.
Nec ſpes magna opis eſt medicas ſed marcida tabes
Vincit, & exſuperat fortior vſque manus.
Cui pater, hanc depone oro nate optime curam,
Prouiſum eſt tanto ſcilicet ante malo.
Námque mali, Macalo, ſuperat quodcunq; reueller:
Ille meus Macalo: nec minus ille tuus.
Hei mihi! ſed morbos potis eſt qui vincere matris;
Cur non & pueri vim ſuperare Dei?

In Alexandri Anderſoni Abredonenſis, Exercitationes Mathematicas.

Iſta Mathematicæ iam reſpirantis imago.
Dicite io gentes, & bona vina date.
Dicite io gentes, poſitâ quas Gorgone Pallas
Dirigit, in curas, ingenioſa, ſuas.
Quis tamen ô diuùm ſuperas reuocauit in oras?
Quis tulit afflictæ ſpémque, manúmque Deæ?
Certè illam modò barbaries inuiſa premebat;
Et prope fatali condiderat tumulo:
Membra elu xatam: fœdatam turpiter ora.
Et nullâ ſimilem denique parte ſibi.
Cui deſperatæ licuit promittere vires?
Vulnera quâ poterant tanta coire manu?
Muneris, Anderſone, tui hoc totum ilicet vnus

Tu Phœbus læsæ, Phillyridésque Deæ.
Sæpe homini poterant diuíque, hominésq; salutem,
Te prior, hanc ipsis sed dare, nemo, Dijs.

Quando vxor ducenda.

Quisquis vera loqui studet, necessum est,
Quamuis recta loquatur, improbetur.
Primæ si tibi flos viret iuuentæ;
Adhuc ne thalamo cubes iugali.
Sin instat senium, iubet senectus
Posthac ne thalamo cubes iugali.
Nánque vxor iuuenis negat doceri.
Nánque vxor senis vtilis probari.
Hinc, si consiliu n meum capescas,
Ducas quum iuuenis, senéxque non sis,
Sed simul iuuenis, senéxque, sponsam.

De Appolline, & Cupidine.

Surripuit puero, Phœbus duo spicula amori.
Surripuit Phœbo, spicula bina puer.
Sumpsit vtérque arcum, cornu sinuauit vtérque.
Misit & è neruo spicula vtérque suo:
Læsus Apollo gemit: puer auxerat igne sagittas,
Sed nocuit flammæ nil sua flamma suæ.

Thomæ Morauio, Carolo Principi a Secretis.

Si licet, & fas est, magni cui tradita cura
Principis, optatæ sume salutis Aue.
Sed licet, & fas est. neque enim huc me audacia præceps
Egit: at ingenuo corde moratus amor.
„Fas, licitúmque facit, voluit quodcunque Cupido.
Fas det amicitiæ nomen inire tuæ.

Hoc

Hoc Moratui dederis, crescet meus ignis, & haud te
Igne magis puro purus amabit amor.

Guilielmo Drummondo, ab Hathorden.

Quum tu animæ quota magna meæ sis portio, quúmque,
O Drummonde, animæ pars ego tanta tuæ,
Sume tuum: vel redde meum. sic solus vtérque,
Me sine tu fueris, te sine liber ego.
Te sine liber ego? sine te quî viuere possem:
Expers ingenij, iudicíque mei?
Quare prius redeat, redeuimus morte resurgam:
Iudicij compos, compos & ingenij.

Ad amicum, cum quo de eligenda vxore iocatur.

Sæpe petis, tibi quæ lecto iungenda iugali,
Vtile consilium sic tibi ferre queam!
Magna petis fateor, facile est optasse: sed illud
Plus erit, è votis multa tulisse meis.
Si tamen optanti faueat fortuna poetæ,
Hanc cupiam lecto consociasse tuo.
„Hanc pete, quæ nec Sithonium superare nitorem
„Nec poterit rubras vincere rubra rosas.
„Læta magis placeat, pia, blandula, casta, modesta
„Sit facilis: facilem nolo sed vsque meam.
„Sit generosa, operosa, humilis, dotata, petita.
Sit similis genio si queat esse tuo.
„Multa loquens valeat: multum taciturna molesta est.
„Docta grauis: nimium rustica nulla placet.
„Præcipue videas, genetrix quæ, qualis habetur:

„Et num signato corpore forte siet,
„Denique quæcunq; est, medium seruabis, & isto
„Gratus eris Nymphæ: gratáque Nympha tibi.

De poetis Gallicis, qui de pulice Rupella, et Paschasii statua, manibus truncata, elegantissime luserunt.

Cyrrha prius, sempérque virens Parnassus, & vnà
Vates castaliæ reddidit hausus aquæ.
Cyrrha silet, mutíque diu Parnassus, & vnda;
Quum vates pulex iam det, & esse manus.

Iisdem.

Causidici queis trunca manus, puléxque puellæ,
Materies comptis versibus vna fuit.
Vosne ego Phæbigenas, an de re, fortè vocabo
Pulici-rupigenas, & manu-truncigenas?

De ijsdem adhuc.

Quid mihi cum Phœbo? quid cum Permessidos vndâ?
Quid mihi cum natis Mnemosinîa tuis?
Paschasius Phœbus, genetrix, Rupella, Dearum:
Ipsæ nunc Musæ, credite, sunt pulices.

De Pio Nasuto proco.

Fortè, Pius, placidæ correptus amore puellæ,
Legitimum cæpit solicitare thorum.
Venit Hymen, nasus cito conciliauit amorem.
Quantus erat, rogitas? sesquipedalis erat.
Credidit illa etenim, (ah, durũ hoc præscire puellis)
Cætera quæ vestis contegat huic paria.
At, postquam breuius, quod longius esse volebat,
sensit; & in iusto pondus abesse thoro.

In

Ingemuit, lachrymásque dedit, cum murmure tali:
Dî tibi, qui poteras, naſe, nocere mihi.

In Poſthumum ebrioſum, & (vt vocant) cornutum.

Tenderet ad ſolitos dum quà via prima penates
Poſthumus, Ogygio turgidus ante deo.
Illiſit ſaxo cerebrum furioſus acuto:
Et crudi evomuit flumina pota meri.
Quid miſer ah voluit? quæ tanti cauſa furoris?
Scilicet vt fronti cornua diſcuteret.

In diſiunctos Vati, & Arrati, tumulos,

Quam bene, quos Natuura pares non eſſe volebat,
Veſpillo, varijs condidit in tumulis.
Nam ſi iuncta forent gemini duo fulmina ventris,
Terra foret rapidis obruta forſan aquis.

In Lucium.

Scis pateríſque alios vxorem accedere, Luci;
Námque fuit quæſtus maximus inde tibi.
Vnum tu prohibes Lycium: quem deperit vnum,
Et quem plus oculis diligit illa ſuis.
Et tamen hic molitor minus omnibus audijt eſſe:
Sed mage qui quæſtu téque tuámque, iuuet.
Leno tuæ nuptæ turpiſſime, diligat aut fac
Lucia non Lycium: Lucius aut Lycium.

De quatuor Batauis Poetis.

Ite alii: mihi ſat Batauo de litore cygni
Quatuor; Aonij gloria rara chori.
Baudius heic eſt blandiloquus, ſuauíſque ſecundus;
Grotius heic doctus, Heinſius heíc tener eſt.

Baudius

Baudius est Pitho, tua basia, Cypri, Secundus;
Heinsius est Erato. Grotius ipsa Charis.
Baudius est lingua. & Musarum labra Secundus,
Heinsius est oculi. Grotius inde genæ.
Felices! ego suspicio sublime cacumen:
Et veneror Pindi qui tenuere iugum:
Vos tamen ante alios, Batauo de littore, vates:
Siue pares placuit, seu, minus ire pares.

Arrati gulosissimi Epitaphium.

Arratus iacet heic. sentit si forte, viator,
I fuge, eris tantæ tu quoque præda gulæ.
Quod si non sentit, plus quondam senserat æquo,
„Herculei fugias vel monumenta rogi.

Arcturo Ihonstono, D. Medico, poetæ laureato.

Carmina, queis dominæ castos sacrauimus ignes;
Carmina quæ Teijs lusimus in fidibus:
Carmina, quæ Lycidas in agris, Melisæus in antro,
Ad pastas pecudes, surdáue saxa canit;
Carmina queis Boream Chloris, nemora auia Iolas
Affatur: Paphijs tactus arundinibus,
Carmina, quæ semper nugas, & vana loquuntur,
Et cum melle iocos, & sine felle sales:
Commendo, Ihonstone, tibi: tu necte soluta,
Collige spa sa, aufer vana, superba doma.
Quid deceat, quid non, cautis circumspice ocellis,
Nam mihi tu nasi solus acumen habes.
Talis odoratu, sensisti Onopordon, ab vmbris
Quum Stygijs nostros visere cæpit ines.
Quem, quia sic impunè omnes demisit in Orcum,
Fac velit ad Stygias ipse redire domos.

Vt

Vt, ſi Phœbeâ tantus ſit in arte, furorum
Vel tres tollat anus; vel citò reddat ἴσος.

Thomæ Voluſeno. I. C.

Gente tibi an Voluſûm nomen Voluſene dicatum?
An quia pura petas; nec niſi ſana velis?
An potius, Graiâ traxiſti ab origine, nomen:
Quod Graium, & Scotum, forſan & Auſonium?
Vt, qui nunc noſter Voluſene teneris, amicus;
Aut βόλος ἄτος eas: aut ὀλος ἄτος eas.

Ad lectorem, de ſuis Epigrammatis,

Scripſimus. at ſcriptos maneant quæ fata libellos.
Pendet ab arbitrio, Lector amice, tuo.
„Velle ſuum cuique eſt. alius Floralia poſcit,
„Huic grauia arrident. quærit at ille ſales.
Quiſquis noſtra leget, non indonatus abibit:
Seu iuuenis, ſeu vir, ſiue erit ille ſenex.
Læta magis Iuuenis, quicquid graue Neſtor habebit.
Debetur quicquid non ſine felle viro;
Sic, ego diſſimulo diuerſo Protea vultu:
Et repeto formas verſus vbique nouas
Talis erit, quicúnque epigrammata viuida ſcribet.
Idem ſi fuerit ſemper, inermis erit.
„Lectoris Genium petit, ingeniúmque, libellus;
„Vt Genio viuat, ingenióque ſuo.

Liber 2. Finis.

EPIGRAMMATVM Liber, 3.

Thomæ Moranio, Caroli Valliæ Principis, Secretario.

HVnc tibi: Pierij, Moraui, noua gloria ſecli,
Maxima cui iuuenis tradita cura Iouis,
Ille tuus, (ſi forte tuum ſinis eſſe,) libellum
Mittit, Hyanteæ, dona, ſititor, aquæ.
Iſte quidem multo madidus licet ora cachinno,
Nil præter nugas ferre, leuéſque iocos,
Serius & nullâ videatur marginis orâ,
Sæpe tamen naſum Rhinocerotis habet.
Tu lector mihi, tu cenſor, tu deinde patronus,
Quâ perſæpe tuum viſere fronte Iouem,
Ad mea dona veni: facilíque heic accipe mente,
Quoſcúnque innuocâ luſimus arte ſales.
Si laſſarit opus, ne faſtiditum eat à te,
Et mora ne, Moraui, lemmata ſola lege.

Troia de ſe.

Quiſquis ades, noſtræque vides exempla ruinæ,
Et verſa irato mænia tanta Deo:

„Diſce,

„Diſce, nec alterius Genium contemnere lecti:
„Nec trahere in medium pocula plena diem.
Troia Aſiæ regina fui: Graiúmque labores.
Fors merui æterno ſtare ſuperba loco:
Si neque Tyndaridos facies mihi nota fuiſſet:
Nec qui pampineâ tempora fronde tegit.
Tu ſine veſte, Lyæe, & tu ſine veſte, Dione,
A veſtris cecidi, Troia nuda, dolis.

Eadem adhuc.

Qui nudam, Bacchus, ſtrauit, nudámque Dione,
Quæritis? hæc neruos ſuſtulit, ille pedes.

In Celurcam, quæ nunc noua Montiſroſa dicitur.

Carmina Theſpiacæ dictent mihi blanda ſorores,
Et Phœbus numeros donet habere ſuos,
Vltra te nequeant, Celurca, ornare ſorores:
Vel deus auratam qui ferit arte lyram:
Certat vbique Deus. ſic dat ſua munera Flora.
Sic decorat vernam fertile gramen humum.
Farre Ceres, (neque enim natam iam plorat ademtam)
Circundat largâ mœnia tuta manu.
Ipſe maris dat opes domitor, populúmq; benignus
Suſtinet: & vitreis diues inaurat aquis.
Flora, Ceres, Nereus, decorat, circundat, inaurat,
Terram, vrbem, populum, gramine, farre, bonis.

In Poſthumi vxorem, ſterilem.

Nulla tibi quereris quod ſit de coniuge proles,
Præter amicitias, nomina multa, tuas.

Hoc

Hoc satis est, culpam dixti, culpæque parentes.
Nam si non dixti hoc, sat scio quod sit.

In deformissimum quendam, sed arrogantem.

Ille viden', Pathicæ cui pars tribuenda puellæ,
si qua fiet, naso longior esse nequit,
Ille viden', cui Pygmæo pes longior vno,
Insequitur turpes turpior vsque nates,
Quale malum? quæ dira lues? hominísne, bouísne?
Vel mala forma hominis: vel bona forma bouis.

In eundem, ad pictorem.

Ora, pedes, tabulâ, pictor, si pingis in illâ,
De numeris poteris cætera scire meis,
Osseus, indocilis, timidus, furiosus, egenus,
Turgidus, infælix, dirus, auarus, iners,
Barrum, asinum, lepores, Furias, Irúmque relinquit:
Therſiten, Priamum, noctuam, apem, cuculum.

In eundem.

Quid dicam? neque forma viri, neque forma puellæ
Mole nec est totus bellua corporeâ.
Quidnam igitur? si quæ fieri mutatio posset,
Mole foret totus bellua corporeâ.
Cornua qui dederit, dabit & bouis ille figuram.
Ille asinum, longas qui dabit auriculas.
si pennas habeat, bubo volitabit in vmbris,
si caudam, subito Circopithecus erit.
si quadrupes fieret, poterit bene barrus haberi:
Et dare terribiles osseus ore sonos.
Cornua da, auriculas, pennas, caudámq; pedésque;
Bos, asinus, bubo, simia, barrus, erit.

Carolo

Carolo, Walliæ Principi.

Spes, amor, & magni ter magna parentis imago,
Lux, decus, & patriæ Carole, cura tuæ,
Scis quem te nuſſit ſuperûm chorus eſſe deorum,
Audi, debebis nunc tibi, quídque Dijs.
Sceptra Iouis; cuius reges genus eſſe, & alumnos,
Fama vetus cecinit: fama canítque noua.
Ingenium, dotéſque animi, moréſque, Mineruæ,
Siue ſagum placuit ſumere, ſiue togam,
Flexanimæ Pitho, Veneri, Orchomeníque puellis,
Corporis hæc quæ nos cernimus eſſe bona:
At Cereri, vt vitæ ſua nutrimenta, & Iaccho,
Phœbo, quod morbûm haud te mala multa premant,
Mortalem ſuperis vitam: æternámque Camœnis.
„Aeternos ipſos Muſa dat eſſe deos.
Hæc ſuperis, vatúmque modis debebis; at ipſe,
„Fortunæ, ſapias, es faber vſque tuæ.

Helenæ Epitaphium.

Candida formoſæ iacet ecce hìc filia Ledæ:
Aedita Nympha ſolo, credita digna polo.
Digna polo, ſi digna polo, quæ ſanguine ſolo
Nota ſolo fuerat, ſanguine nota ſalo.
Dira lues Phygiæ, pelago labor, arma Pelaſgo.
Cæde nocua ſolo, clade notata ſalo.
Nupta tribus, bis rapta, tribus viduata maritis.
Sæpe petita ſolo, ſæpe petita ſalo.
Deniq; fax iuvenum heic, procerum nex, nox Phrygiorum eſt:
Vna ſoli, atque ſali, pernitiéſque poli.

Eadem

Eadem, Poetas alloquitur.

Cur mihi Pierij tantum nocuistis alumni?
Cur ruis in pænas totus Apollo meas?
An quod Amor rapidis violauit viscera flammis?
Inter vos teneri lusor Amoris erat.
An quod in arma viros speciosæ munere formæ
Mouimus & Phrygium fodimus ense latus?
Ni sic nata forem, nunquam sic notus Homerus.
Quod viuat, natibus debeat ergo meis.

Iacobo Fullartono, Carolo Principi, a cubiculis intimis.

Pallade certabat cum virgine, Clio, & Apollo:
Quî Fullartoni sic tibi nomen eat.
Liminis Arctoi φύλλον te Phœbus, at illa,
Μουσάων φύλλον σ' ἔμμεθραι καὶ ἄρτον, ἔφη.
Τῶν δ' ἀρέτων φύλλον te, Fullartone, Minerua,
Sic ratio ternis terna probata Dijs.
Si mihi, fas aliquid post numina dicere tanta;
Φυλλον τῶν Μουσέων, ἄρτος ἔσῃ χαριτων.

Domus Regia, ad excipiendos legatos exteros conuiuijs, extructa. 1621.

Hìc, vbi tecta nouo surgunt regalia saxo,
Felices epulas exhibitura Deûm;
Mulciber ignipotens, momento temporis, omnia
In tenues fumos iusserat ire prius.
Illa quidem, imbriferúmque Notum, rapidúmque Aquilonem,
Et metuere iras, Lemnie claude, tuas.
Nunc omnes rident furias. satis auspice vtroque,
Patre Deo, & nato tuta futura Deo,

In

In Rufum.

Non amo te satis hoc. sed possum dicere, quare.
Ore mihi inquis aue: pectore, Rufe, caue.

In Varum.

Tu mihi semper ais mendaces, Vare, poetas.
Ast ego mendacem te mage, Vare, scio.
Qui rogitas? quia si mendaces vsque poetæ.
Tisiphone, genetrix quæ tibi, ficta foret.

De Galli vxore, adultera.

Vxori astantem, Gallus, conspexerat Aulum;
Paucáque confertis basia ferre labris.
Heic quid agat dubitat. dolor hinc, pudor vrget at illinc,
Hinc timor. hoc metuit, nec putat esse nefas:
Dúmque stat ante fores, secúmque ita cuncta volutat,
Et metuit dubiam coniugis esse fidem:
Fit strepitus tectis: tremuli argutatio lecti
Quassa, dedit læsi proxima signa thori.
Ergo ruit, (neque enim thalami temetata iugalis
Iura: æquo potuit concoquere hæc animo.)
Et resera, exclamat: nam si mora longior obstet,
Diffringam has vulso cardine, mæcha, foores.
Illa, quid ô dubitas? fidei per Mystica iuro,
Quam metuis, tuto res manet illa loco.

Iacobi Kynneri, Forretij, tumulus.

Liuor Tartareâ modo quum remearet ab aulâ,
Longa soli expertus tædia, longa sali:
Constitit ad tumulum Kynneri; & talia fudit,
Heic vel Kynnerus, vel iacet alma Themis.

Cui dea terrificam quaſſans ita Gorgona Pallas,
Immo heic Kynnerus, heic iacet alma Themis.

De ruſtico et Monacho.

Ruſticus æſtiuis opus intermiſerat horis,
Iamque domum à paruo forte redibat agro:
At poſtquam intrauit, Monachum cum coniuge vidit
Blandula Cyprigenæ bella mouere Deæ:
Dumque necem intentat: ſuntne hæc mihi præmia, clamat,
Vxorem, Monachus, quod tibi purgo tuam?
Nonne vides, laſſis nouus vt fluat vndique mẽbris
Sudor? an vltricem res petit iſta manum?
Ruſticus huic, veſtri ſi ſint purgamina penes,
Da mihi, ne laſſet te labor iſte, tuum:
Nec mora, cunctanti ſecuit genitalia: & inde
Purgauit dominam Ruſticus ipſe ſuam.

De diſſidiis, inter Zelotypos, vxorem et virum tollendis.

Dicite, diſſidio iunctiſſima pectora ſolo,
Digne aliâ, atque alio tu quoque digna viro.
Quæ vos exagitat tantum diſcordia? quo tu
Improba ſis dictis: noxius ille minis?
Quid tu tam cupido circumſpicis omnia ocello
Improbe, non oculis forte videnda tuis?
Quid tantum inquiris domini tu in facta mariti:
Auribus & patulis credule cuncta rapis?
Hi mores, lites & inania iurgia ponunt:
Et noua zelotypæ dant alimenta faci.
Non hos iuncta Charis thalamo mõſtrauit amico
Non hos blanda Venus, non pudibundus amor:
At

At mala Tisiphone geminâ comitata sorore,
Ast odium, & liuor, suspicióque latens.
„Quam vestrum non vlla ageret discordia lectum,
Si mage tu cæcus, tu mage surda fores!

Geryonis vaticinium completum.

Cornutum pecus, Hesperijs Tyrinthius oris
Abstulerat, validâ per iuga summa manu.
Quem simulac pastor subducere vidit Iberus:
Scilicet hac patrios scande, ait, arte polos.
Nil moror: at veri si me non fallit imago,
Terra feret multos hæc populosa boues.
Dicta fides sequitur, tam fertilitatis amica est,
Vt videas, ipsos cornua ferre viros.

Thomæ Goddæo. SS. Theo. D. Archie. Cantuariensis Sacellano, vt prò se pæsulem suum alloquatur.

Irata quod tu deprecanda fulmina
Modò cen'uisti; factum habemus. & Iouem
Placatiorem inuenimus Brittannicum.
Nullóque læsum dente virulentiæ
Gallum benignum: & qui doleret vnicè,
Casum innocentis; lentam & hanc custodiam.
Nunc te per ipsas Charitas, & nouemplicis
Turbæ rogamus ordinem, atque Apollinem,
Goddæe, solum flecte Præsulem tuum.
Non iam ira potuit ista deferuescere?
Nonne illa primos spiritus remittere?
Si dente crimen fit læsisse noxio;
Lusisse crimen dente non innóxio est.
Si læsimus, non soluimus pœnas leues.
Si lusimus, sat solumus pœnas graues.

Godofredi Hagheni, Middelburgo-Zelandi tumulus.

Niobe, quiescit tecta membra marmore,
Nec fata prolis amplius gemit suæ.
„Non ille magnus qui exprimi potest dolor.
„Stupet alta cura. vos dolete, quos mouet
Aetásque verna, vísque viuida ingeni,
Morésque lacte puriores, aut niue:
Dum fila vitæ nulla rupit Atropos.
Vos in benigno, patrio si non solo,
Quà toruus vndis Nerei Bodotria
Miscere sese pergit, Haghenum, cito
Lugete raptum vulnere infidæ Deæ,
Quæ pauperi æquat diuitem: & bonum malo:
Lugete vos hæc, quos minor coquit dolor.
At ego, dolorum quem grauant tot agmina,
Luctúsque totis sæuit in præcordijs.
Non mira quod non heic fleam: nam quî potest
Lachrymare fletus: flere mæsta lachryma?

Roberto Aitonio, equiti, Poetæ.

Qui dominæ laudat crines, & eburnea colla,
Sydereósque oculos, nunquid αἷες τόνος est?
Qui cantat planè dijs Heroidas orsis.
Heroúmque ignes, nunquit αἷες τόνος est?
Qui semper tereti deducit pectine carmen,
Musarum antistes, nunquid αἷες τόνος est?
Quam bene conueniens Phœbo, noménq; puellis;
Vt sit αἷες τόνος, hic noster Aitonius!

In

In nuptias, Iacobi Hayi, vicecomitis Duncastriæ, & Dæ. Persiæ, comitis Northumbrii filiæ.

Pectora Persiæ Tritonia, Delia mores,
Egregium formæ Cypria diua decus,
Tres sua quæque Deæ finxerunt, pronuba risit,
Et simul hæc: Hayo digna ea virgo meo.
Nec mora, & aligerum compellat voce puellum:
Cui tela, & pharetræ cura, leuésque faces.
Atque ita, da parili duo pectora ab igne calescant
Illa, simul digito monstrat vtrúmque Dea.
Paret Amor iussis, humeris leuat inde pharetram.
Aureáque è pharetrâ spicula missa iacit.
Persensere simul defixæ cuspidis ictus.
Ingemuere simul, incaluere simul.
Tum deus, ex alto geminos miseratus Olympo,
Fœdera coniugij mutua sanxit, Hymen.
Casta licet, thalamos Pallas non fugit amicos:
Nec genetrix Paphij diua Erycina Dei.
Vnica virgineum, solui indignata pudorem,
Ad syluas abijt, Delia, pulsa suas
At tibi, si scelus est vnam depellere, sponse,
Laus thalamis geminas consociasse deas.

Thomæ Dempstero Iurisprudentiæ Bononiæ professori.

Dum procul à patriâ, Latijs nouus hospes in oris,
Illustras patriam, docte poeta, tuam;
Promis & è tenebris doctorum scripta virorum;
Scotia quos patrio nunc vocat ore suo;

In patriam rediere ſuam, patriâ procul olim,
Illuſtrem & patriam, téque poeta, ferunt.
Et ne tot fruſtra ſubeas, Dempſtere, labores;
Scotia te, patriæ nunc ciet ore patrem.

In Varum podagricum, de omnibus male loquentem.

Diſtortis male cruribus laborans,
Nodoſam miſer induit podagram,
Fani pernicies, foríque, Varus:
Auratæ mediocritatis oſor:
Diuinæ pietatis, & quietis
Hoſtis, perpetuâ furens Erynni.
Vnus Cerbereas tamen ſagittas
Dura cote acuit, malúmque linguæ
Virus eiaculatur. ô Deorum
Quiſquis, hæc oculis tueris altis,
Aut ipſum obrue tam malâ podagrâ,
Aut linguam hac podagrâ malam coerce.

In Carinum.

Magiſter eſt Carinus. & quid hoc mali?
Bonúſque ſat Carinus, & quid hoc mali?
Sed dum magiſter, & bonus Carinus eſt,
Magiſter eſt Carinus, optimus mali.

In eundem.

Quiſquis dixerit optimum Carinum
Futurum, ille putet volare tauros:
Et curſu celeri relinquere auras.
Quiſquis dixerit optimum Carinum
Futurum, ille putet diem tenebris:
Et Phœbum in vitreo natare ponto.

Quiſquis

Quiſquis dixerit optimum Carinum
Futurum, ille putet ſolum hoc moueri:
Et cælum in mediâ natare terra,
Hæc credat licet, & putet futura,
Quiſquis dixerit optimum Carinum.

Annæ Drummondæ, D. Ioan. Scoti Scoto-ternatij, coniugi.

Quem dederas, veri monumentũ, & pignus amoris,
Excidit hic digitis, anulus, Anna, meis
Non equidem noſtri fuit iſta incuria, teſtor
Numina ſinceræ maxima amicitiæ.
Nec tum me vlla tui cæpere obliuia: quamuis
Inter nos longæ millia multa viæ.
Verum aliqua eripuit necopino, nílque ſcienti,
Neſcio quâ tacitâ, Caſtalis, arte, mihi
Scilicet, vt digito quia noluit eſſe poetæ,
Poneret in numeris, Anna, perennè meis.

Paridis Epitaphium.

Qui tegor heic, Danaas armaui in Pergama gentes
Heu, Paris, heu, patrij ſola ruina ſoli.
Quem Venus, & teneri blandus moderator amoris
Abiectum, in caſtris erudiere ſuis.
Hinc, vix prima genas pingebat flore iuuentus,
Iunctáque eras comiti, Pegaſi Nympha, comes.
Poſtmodo de facie quum noſcor regia proles;
Accendit flammas nupta Lacæna nouas.
Fælix qui placuit, ſi diſplicuiſſet amanti,
Et qui diſplicuit, plus placuiſſet amor!

Aliter.

Paſtor eram in ſyluis, Graijs ſed amator in oris,
Miles in Iliaco per duo luſtra ſolo.

Fistula pastori, sed Graia placebat amanti:
Et bellatori spicula tensa mihi.
Fistula securæ placidissima pagina vitæ,
Tuque Lacena labor, túque, Gradiue, dolor.

Adhuc de se.

Pastor, miles, amans, colui, armaui, violaui,
Rus, patriam, hospitium, pace, phalange, rate,

Ad Andream Aidium, Abredonensem.

Carpere nescio quis fertur mea carmina liuor:
Et morsu Paphios lædere velle iocos.
Hunc ego si sciero. tu si fors videris vsquam,
Aidi, id ἀιδίου limina mitte ἀιδου.

In coniuges, in vno similes sibi.

Ausus erat quisnam thalamo copulare iugali,
Quos vidit iunctos vix breuis hora duos?
Litigat hæc semper, linguæque exsuscitat Hydras:
Atque Acheronteas numina sæua deas.
Ille furit, fremitúque rapit, quodcúnque ministrat
Impatiens longæ tam breuis ira, moræ.
Gaudet adulterio sedenim, dubióque cubili
Ille: petit dubium nec minus illa thorum.
O Paphiæ quæ cura Deæ! quos nulla Deûm vis,
Hos fecit dubius iungat vtrósque thorus.

Pastoris, de Monacho, et lupo, querela.

,,Nulla quies, nulla humanis constantia rebus.
,,Occupat alternas spésque, metúsque vices.
Námq; sub his patulæ recubo dum frondibus vlmi;
Et leuat arentem lympha sonora sitim;
Panáque, syluarúmque Deos, Dryadásq; puellas

Con-

Conuoco: & ad lusus numina cuncta meos,
Hinc Monachus nostræ dat basia mille maritæ;
Atque rapit dubij gaudia vera thori:
Hinc lupus vrget oues, timeo malecautus vtrumq;
Et premor à binis vnus, idemque malis.
Ergo petam Monachum? pecori lupus instat anhelo.
Ergo lupum? Monacho nostra relinquo mala.
„Lude tamen coniux potius. minus est mihi crede,
„Mille lupos, vnam quam domuisse lupam.

Nocti, Genio, et Penatibus, ob consentum primo T. Hopæum,

I. C.

Beata noctis ô tenebrosæ quies.
Quæ nube clarum fusculâ pellis diem;
Genique, diæ qui inuias mentis vias.
Colisque celsa pectoris penetralia;
Et vos Penates Hopiani liminis;
Sublimè qui me ad culminum fastigia
Duxistis: illum vbi intueri fixius,
Cui Musa curas; cuíque diuidit Themis,
Licuit: virente thyrso tactum Apollinis:
Cui Suada succo proluens Ambrosiæ
Formauit ora: & læta depluit Venus
Leporum amænas cum decore gratias,
Hunc quod datum iam mî intueri, & alloqui;
Dabo mille Iambos; mille alio claudos pede
Scazontas; & tot pætulos Phalæcios:
Quos, thure, cúmque melle, & optimo mero,
Tibi nox, Genique, & dî Penates offeram.

In

In quendam, de omni re, dubitantem.

Disce miser, dubiam vaga quî sententia mentem
Deserat: & quî non sis tibi Carneades.
Ilicis vmbra mihi est gemino contermina fonti,
Et nunquam visa est hæc dubitasse mihi.
Naias irriguis hanc nutrit proxima succis:
Arridétque vndis sole nitente suis.
Gutture suppresso, tres hìc quum penderis horas:
Ter dubita, viuas nunquid, an intereas.

Hectoris tumulus.

Hospes ades quisquis, ne celsæ mœnia Troiæ,
Ne pete quæ Phrygios contegat herba duces.
Hìc pater, hìc genetrix, hìc gloria, bella, triumphi;
Conditur hìc minimo, maxima Troia loco.

In Philenidem pulchram, sed male olentem.

Quid sic Phileni, pulchra, culta, candida,
Simulac amicus te petit, deliria
Vulgi recensens; & fori mendacia,
Testata magna tu repentè numina,
Iuras fututam nec tuisse: nec fore:
Phileni, siste, ne iura quid amplius.
Nam te tacente, peierabit halitus.

In Auarum, ad Perillum.

Papistam vocat inscius popellus.
Papistam negat inscius popellus.
Tu dic, scis qui hominem, Perille totum,
An sit Christicola: an Pecunianus.

Ioannis

Ioannis Simmer, (quod æstatem Anglice sonat) à Balyordie, tumulus.

Regnat hyems, æstas fuerat; miracula non sunt,
Aestas si brumâ iam subeunte, perit.

Phyllis, Demophoonti ingratitudinem exprobat.

Phyllis, opes, & opem, regnum, portúmq; thorúmq;
Concessi, ignoto credula virgo, viro.
Munus an hospitij mors? sospitij ne sepulchrum?
A te Demophoon, non tibi falsa fui.

Dies Natalis Regis Britanniarum Iacobi 1621. 19. Iunij. repetitus.

Iam redit ille dies, qui magni Principis ortum,
Fergusidum stirpi, Brutiadumq; dedit.
Illi bis quinos quum Elis celebrasset honores:
Iret & vndecimam claudere Olympiadem.
Ille dies, niueo signandus sæpe lapillo,
Quem nonum, & decimum Iunius ire iubet:
Pax æterna illum, & clementia mitis honoret:
Et cum Castalio, docta Minerua, Deo.
Illum vnum colat æqua fides, redeuntibus annis,
Et Sophiâ, & Suadâ concomitante Charis.
Vt diuûm, de rege Iacobo, hominúmque voluntas,
Hæc rata vota sinat: hæc rata vota petat:
Viuat perpetuâ canos fallente senectâ;
Tótque annos numeret, quot numerauit auos.

In

In Zelotypum Patrem.

Improbe, de tenerâ metuis quid multa puellâ:
Credíſque famæ percitus mendacijs?
Mulciber Idali am vidit cum Marte Dionem:
Quid ſi Lycorin comperiſſes hìc tuam?
„Aegida habet Pallas, non Gorgonis ora Meduſæ,
Non haſtâ, deſunt arma nulla virgini:
„Arma, ducéſque ſimul, iunctæque vmbone phalanges,
„Et clauſtra vinclis coniugata aheneis,
„Non poterunt ſeruare vnam ſine labe puellam,
„Si quid Cythere, vel Cupido ſuaſerit.

D. Ioanni Scoto, Scoto-teruatio, equiti.

Niſus, & Euryalus; Pollux cum Caſtore, Theſeus
Perithous, Tydeus cum Polynice ſuo;
Cum Ionathane bono, Ieſſei clara propago:
Lælius, æternùm cum Scipione viret.
Qui ſpreuit Pyladen, ſocium quoq; ſpreuit Oreſten.
Vna Menætiadæ mens, & Achillis erat:
Damonem metuit, Pythiam qui læſerat olim:
Hæc fuerant magnæ nomina amicitiæ.
Noſtráque Scote, cauas ſubeat ne fama tenebras,
Succedes decimo, me comitante, loco.

In Poſthumum ſuperbum.

Quod quacúnque tui rapiunt te Poſthume, greſſus,
Seu fora, ſeu populo compita fæta petis:
Spirat Achæmenium Tyrianthina veſtis odorem:
Et nitet in digitis gemma coruſca tuis:
Quódque ſuperfuſo radiet tibi baltheus auro,
Pendeat ex humeris picta lacerna tuis:

Vis

Vis te aliquem, quem vulgus iners, totúſq; ſenatus,
Quémque colat flexo fœmina, vírque genu.
Cui Thetidos proles, cui vis Telamonia poſſet
Cedere, vel magnis æmulus ille Dijs.
Hectora te credis. cuius depicta veruto,
Aurea ſolius fulget imago tuo.
Hei mihi, qualis adeſt, quantum hic mutatus ab illo!
Hectora, nunc gladium, non ego cerno virum.

Arcturo Iohnſtono, Doctori Medico, Poetæ laureato.

Neſcio præteritis quænam, Iohnſtone, diebus,
Inuidit mihi te, ſors mala, meque tibi.
Quum tamen alterutrum alteruter quæſiſſe feratur:
Quum tamen alteruter fugit ab alterutro.
Tu me quæſieras, ego quum te quærere cæpi.
Tu me apud, atque ego apud te, niſi fallor, eram:
Erroris vitium hoc. nam ego te ſi forſan apud me,
Aut tu quæſiſſes me te apud, vt licuit:
Alterutrum alteruter facile inueniſſet: eadem
Luce, horâ, inque vno temporis articulo.
Ridebit Bauij, ſciat hoc, Onopordus, imago:
Et Furijs plaudet, ſyderibúſque ſuis,
Quare te, vel me, face apud, te cernere poſſim:
Iámque vt conueniam, dic age quò veniam.

Balnamonio diſcedens, Kal. Maijs. 1617.

Clara annis, meritiſque virûm, Coleſſia virtus.
Quos hinc Bellipotens vendicat, inde Themis.
Et domus, ô, multis quanquam tentata ruinis,
Auſa tamen centum ter ſuperare hyemes,

Vnde

Vnde auus, vnde mihi genetrix, tutórque fuerunt.
Fas mihi vbi primos gramine ferre pedes.
Dulcè valete simul, memoréſque eſtote poetæ,
Qui nunquam veſtri non potis eſſe memor,
Quod ſi me clarijs laurus quæſita trophæis,
Vos manet ingenio gloria parta meo.

In *Abulum, temerarium.*

Quid Telamoniaden, Clymenes, prolémq; ſuperbi,
Quid laudas Cadmi, Perithoíque manus?
„Serus honor poſt fata: veni, nunc incipe liuor;
Diceris egregijs qui comes eſſe viris.
„Si foret Empedocles, ſua iam poſt buſta ſuperſtes
„Non daret Aetneo membra cremanda rogo.
„Poſſe putas nullum fortem, magnúmque videri:
„Dum queat eſſe aliquid, nî velit eſſe nihil.

In *Grammaticos, Ioanni Raio.*

Num bene Grammaticis, queis omina triſtia quinque,
Conſtituit primis verſibus: ipſe Maro?
Arma refert primus. *profugum* canit inde ſecundus.
Terra iactatum tertius: atque mari.
Vim ſuperum, quartus, *ſæua Iunonis ob iram*:
At *bello paſſum* plurima, quintus habet
Rai, Grammaticus dic tot poſt omina dira,
Et poſt tot caſus, qui bene lætus erit?

In *Iani effigiem.*

Dicite, cur geminâ ferat hic duo lumina fronte?
Aut cur proſpiciat, reſpiciátque Deus?
Scilicet, his dantis dum munera ſpectat ocellis,
Mutua reddentis munera cernat ijs.

In Circulum Vacuum, pro effigie Neminis positum, in fronte Neminis sui.

Neminis effigies vera heic ostenditur, ipsi
Fronte, oculis, toto corpore persimilis.
Nam si ipsum adspicias, (ceu vidit Homerus) imago
Illius hæc dubites, huius an ille magis.

Gulielmo Leslæo, Philosophiæ, in Collegio regio Abredonensi, professori.

Seu primo legerere, siue quarto,
Seu quouis alio meo libello,
Leslæe, id minimi æstimato pili:
Sin primo positus meo libello,
Extremus meus esse amicus audis:
Nec primum facis ordinem meorum:
Illud ne minimi æstimato pili:
Sed magni capitis: minúsque calui:
Immo te, (nisi fors putas iocari.)
Toto, ponderis æstima esse pluris.

Ioanni Vemio suo.

Exigis in nostris sedémque, locúmque libellis:
Scilicet vt nomen viuat, amice, tuum.
Carmina, quum currant mea, tu requiescere poscis?
Vanius esse meo quid pote Vemiolo?

De tribus gracilibus, ex græco Nicarchi.

Tres quondam graciles, certabant; corpore quisnã
Tenuior, hæc tantæ litis, origo fuit.

Primus

Primus acus, artem ostentans, subtile foramen
Transmisit: manibus linea fila tenens.
Constitit in telis, alter, textricis Arachnes:
Non graue bestiolæ deinde pependit onus.
Tertius exclamat, palmam, & mihi ferte corollam:
Si videor vincor, non ita corpus ego.

Scotia discedens, Kal. Octobris.
1617.

Terra viris, studiisque potens, seu toruus ad arma
Mars vocet, & Getico puluere sparsa ruas,
Siue opus ingenio, rigidæ tutela Mineruæ;
Gloria Pierij, terra decúsque chori:
Seu tua Fergusio, debes seu sceptra Gathelo,
Seu profuga è Scythicis nomina sumis aquis,
Continuâ serie, centum regnata, supérque
Regibus, ad nomen, magne Iacobe, tuum:
Paulùm blanda Vale. finis hoc, dulcissima tellus,
Scotia, seu patriæ nomina forsan amas.
Me placidi Ligeris, Rhodani rapidissimus amnis,
Et me nobilibus Sequana primus aquis,
Me vocat exiguo descendens fonte Garumna:
Turbidus hybernis quà mare poscit aquis.
Hic nostris requiem, hic bonus otia blanda Camœnis,
Phœbus, & Aonidum spondet amica cohors.
Dum pro vate suo, nil non mea cura recusat
Scotus: & absenti præstat amicus opem.
Hunc tu, terra fouens, nostri memor vsque reserua:
Seu mihi dent reditum, seu mihi fata obitum.
Sed mihi quem poterunt reditum dare fata, obitumque:

Si

si tecum maneat, viuat & ille meus?
Viuat, & ô maneat! sic mortuus, & licet absens,
Tecum ego nunc viuo: tecum ego nunc morior.

Dauidi, Michaeli.

Si posset Ligeris, Taus esse; aut Glotta, Garumna:
Saluere, vates, dicerem vates tibi.
Nunc, quia tot terræ distingunt millia vtrúmque,
Saluere, Michael, mitto: non dico tibi.
Et ne fors, vacuas eat hoc saluere per auras:
Comitem viæ dedi, en Vale.

Laurentio Skinnero, de Malis suis dum ea edituru esset.

Munera dum Iani propero, Skinnere, Kalendis
Mittere, patrono dulcia mala meo,
Morbus iners iterum me lecto affixit: & ausa est
Intentare auidas, Parca siniſtra, manus.
Ille tamen, grátare tuo, deferbuit æstus,
Iam redit ad Musas mens, animúsque suas.
Mala tamen fugio, namque hinc seges ista malorú
Hinc mihi tristitiæ prima elementa meæ.
Nam dum mala cano, mala me cecinisse putauit
Parca, colubriferas horrida Parca comas.
Ergo, ait, ô vates nostrorum magne malorum,
Hæc habeas numeris præmia digna tuis,
At, dum mala meis vidit cantata Camœnis,
Erubuit dubio lusa, virago, sono.

D. Roberto Dobbæo, equiti, dum Ia. Bonauentura Hepburni Scoti. 70. linguas typis excusas, sibi duo daret.

Diuini ingenij, magnum, & memorabile munus,

Nobile Dobbæi ſtemma, decúſque laris,
Ter, quater & denas, modo quſi ferres mihi linguas
Quas habet hoc loquitur quiſquis in orbe notas;
Quid loquar? incertum obſtupui cæleſtia dona,
Anne magis tacitâ gaudia mente tuli.
Sed magis obſtupui. quis enim, quis credere vellet,
Vnius Hepburni hæc cuncta latere ſinu?
Sed magis exſilui, lætatus mune:e tanto;
Dobbæo dignus quo meus exſtat amor.
Interea noſtras cape nunc Dobbæe Camœnas,
Hæc ſunt pro tantis munera muneribus.
Iſta licet non æqua tuis, (quis enim audeat iſtud?
Nec meus hìc tanta ludítur arte labor.)
Attamen his ſuus adſtat honos: & gratia facto eſt.
Nec tantum viles Muſica turba ſumus.
Confer enim Muſam, atq; artem diuerſa loquendi;
Authores homines hæc habet: illa, Deos.

De laudatore, & adulatore, Thomæ Goddæo, SS. Theol. D. Archiepiſcopi Cantuarienſis Sacellano.

Quum me laudares, laudum inferiora merentem,
Conticui primum: dein grates ore modeſto
Perſolui; vt decuit: ſed dum te tollere conor,
Laude ſuâ; laudum longè ſuprema merentem;
Perſtrinxſti modico tum me ſale: méque rogaſti
Vt ſcopulos fugerem, neque ſaxa latentia adirem
Cæcus adulantum. cedo meliora monenti.
„Laus etenim fraudis preſſit veſtigia ſæpe: &
„Laudis adulator comitem fraudem trahit vſque.
Immo anagrammatico ſi quis duo nomina ſcriba;
Ibit adulator, qui vult laudator haberi.

Delitijs Anglicis valedicit.

Pætum,& Iacche parens,& amaræ mella Cytheres
Terna mihi ignoti causa,cibúsque mali,
Dæmonis æqua trias,sed non tamen æqua, valete:
Este pari impares semper vbique modo
Et pætum Bacchus,Bacchum pæa incitet herba,
Ignifera ignigenam,hinc ignigena igniferam.
Certè ego vos cernens,& amaræ mella Cytheres,
Ignem vtrum gignam nescio:vtrúmne feram.

Ioanni Cocburno, Carolo P. Præfectori.

Cocburnum Natura tulit,sors sustulit æqua,
Cocburno mors contulit alma charis.
Cocburno ingenij Tritonia detulit artes.
Et Genium Cocburno obtulit ipsa Venus.
Præstulit innumeris Cocburnum Phœbus: & inde
Intulit hunc numeris Aonis vna meis.

In Rufum.

Bis denas,Rufus, Giuiaci,vltráque libellas
Hausit,dum Paphiâ forte dolet podagrâ.
Nec tamen amisit,(nónne est res mira) capillos.
Nam mihi crede omnes perdidit ante comas.

In Rufum, neque album, neque atrum.

Noluit esse niger Rufus,neque candidus olim.
Noluit esse bonus,noluit esse malus.
Noluit in dubio nigríque, albíque manere,
Noluit esse aliquid,noluit esse nihil.
Sed nunc quum Veneris misere dolet ille podagrâ;
An dubites quis sit? non ita,nam malus est.

Ad Lectorem.

Hæc ego, dum tristes licuit deponere curas,
In medijs lusi, carmina læta, malis.
Non tibi vti, lector quicunque aliquando futurus,
Displicuisse nimis, vel placuisse queam.
Hæc alios tangant, melior quos spectat Apollo:
Mæcenas placidâ queis probat aure iocos.
Dura meos numeros, sequitur Fortuna: patronum
Quæritat, at nullum nostra Thalia videt.
Ergo, mihi placeam satis est, sic ipse Poeta,
Ipse mihi lector, ipse patronus ero.

Lib. 3. Finis.

EPIGRAMMATVM.

Liber, 4.

Ad Libellum ſuum.

QVo tu, quo, liber otioſe, pergis?
Nonne tres ſatis hactenus fuerunt,
Quos damnet Cato, Zoiluſque carpat,
Nugiuendali, & impobi libelli?
Huc ad ſcrinia, ſi ſapis, redito:
„Nec per aerias vias, inanis
„Pennæ remigis, ire vanus aude.
Rides, & furere vſque perſeueras,
Tui nec ſatias te habet furoris?
Cur iſtuc? tineis, malíſque blattis,
Nempe vltra cibus eſſe permoleſtum,
Tum de ſeruitio graui, atque duro,
Et longo domino ſub oſcitante.
Permultum, quereris. cuine queſtum
De me ibis? cui, tertio Catoni?
Octauo aut ſapientium? bene iſtuc.
Sapiſti hoc, liber otioſe, in vno,
„Namque haud dedecus, & nihil pudori eſt,
„Lactucas ſimiles habere labra.

D. Roberto Caro, Ancrumio, equiti, Principi Carolo à cubiculis intimis.

Charum Pieriæ caput cohorti,
Charum Cecropiæ caput Mineruæ,
Charum mellifluæ caput Suadæ,
Charum ter Veneri, Cupidinique,
Et charum tribus ô caput puellis.
Charis quæ Orchomeni lauantur vndis,
Sic quicquid precor elegantiorum,
Sic quicquid precor est venustiorum,
Sic quicquid latet vsquam bonorum,
Charos in que oculos, capútque charum,
Et totum bene, Care, depluant te;
Fauendum Iuuenem deum petentes,
(Siue Apollo amet ille, seu Cupido,
Seu quicunque aliùs deûm vocari;
Certè amplum iubar, atque amor Britannûm,
Et spes, delitiæque, Gratiæque:)
Nunc priuâ prece vota nuncupamus.
Ille si puer est Cupido, flammas,
Sin Apollo, habeat sibi hasce Musas.
Verum, quicquid id est quod hoc dicamus,
Sit gratum tibi, sit precórque charum,
Hoc te, per Genium tuum rogamus;
Charum Pieriæ caput cohorti.

In

In doctoratus Theologici gradum, à S.R.Britanniarum Rege, Iacobo, restitutum: & doctissimis quibusdam viris, 1616. collatum.

Ecquid Hyperboreæ torpens modo frigore brumæ
Grampius, rectis prouocat astra comis?
Quid Taus exultat? quid Glotta, quid Esca superbit?
Donáque gemmiferis qui subit æquor aquis?
Scilicet Arctoæ positos sub finibus vrsæ,
Prætulit Aoüio præses Apollo solo.
Scilicet heic meritas sua tollit gloria Musas:
Gloria non vllâ deperitura, die:
Tu facis hoc, cui perpetuo comes addita virtus:
Cui decus, & pietas, cum pietate, fides.
Tu facis hoc, Rex magne, noui noua gloria sæcli:
Præside quo Ausonium non timet agna lupum:
Sub quo, tot, tantos, tulit vno scotia partu:
Doctrinâ, ingenio, religione pares.
Sub quo, tot, tanti, merito decorantur honore:
Doctrinâ, ingenio, religione pares.
Fælices nimium, tanto sub Principe natos!
Fælicem tantis, Rex te Iacobe, viris!

Caroli Principis hastiludium. 24. Martij. 1621.

Iactabat toto Mauors sua prælia cœlo,
Et dedit Oetæo qui sua membra rogo:
Castor equos, cum fratre pio, cæstúsque ferebat.

Hæc quoque cum reliquis lis fuit ipsa dijs.
Quum subito assumpta Tritonia Gorgone Pallas
Edidit ante ipsum talia verba Iouem.
Vires, arma, & equi, superis si gloria, Carlo;
Si ingenium, cedam dotibus ipsa meis.

De grandine eodem ad hastiludum progrediente affatim cadente.

Indutus thoraca humeros galeáque verendus
Altera spes nostri Carolus vna soli,
Ibat vt oblatis hosti concurreret hastis;
Presserat & dudum terga ferocis equi
Aethere quum subito grando crepitante procellâ
Decidit in vultus, Principis inque sinus.
Ille sed hinc patris aspiciens placida ora Britanni,
Latona hinc geniti lumina clara dei
Risit dulce tuens, quo grando repente recessit
Purior & solito lumine Phœbus ijt.
Quid sperare licet tali sub principe nobis:
Quum faciat vultu sydera clara suo?

Quæ optima semper Fœmina.

„Fœmina nulla mala est, thalamo non iuncta iugali:
„Quum thalamũ intrauit, fœmina nulla bona est.
„Sed bona dissimulat: sese mala prodit apertè.
„Sed bona non bona erit, sed mala peior erit.
„Qui sapis ergo, & vis vbi sit bona fœmina semper
„Ne tangat thalamum: speret at vsque tuum.

Impar Venatio, Cinnæ, et Pontiæ.

Ibat venatum Cinna, ibat Pontia, cincta
Hæc Veneris ritu: virginis ille deæ:

Hæc

Hæc thalamum, nemora ille petit campósque iacentes,
Hæc scuto, iaculis nobilis ille suis:
Præda ferendo huic est: præda est feriendo sed illi.
Huic remanendo, illi præda sequendo magis.
Hæc primâ iuuenem captat florente iuuentâ:
At ceruum ille altis cornibus egregium.
Exitus hic ludi est, ceruum cum cornibus ille
Rettulit: at captum perdidit illa virum.

De Venere, et Marte.

Quum Diomedæo Venus aret saucia telo;
Mortali, & gemeret vulnera facta manu:
Risit, & innixus Geticæ, sic Mars ait, hastæ:
Non hìc sunt thalami, Cypria diua, tui.

Iacobo, Regi Britanniarum.

Multa tuas quamuis semper vox verberet aures,
Qui vel damna pauent, vel tua dona petunt,
Saxonidum, Fergusiadum, & regnator Iernûm.
Ne durâ nostras respue aure preces.
Sit modus aduersæ sortis, finísque malorum,
Sítque mihi in patriâ viuere posse meâ.
Sic mihi si Calais, si Zethes, si mihi Pallas,
Si misero Alcinous; denique Phæbus eris.

Die sacro S. Georgio Angliæ tutelari quo se Periscelidis equites ostentant 23. Aprilis. 1621.

Luce sacrâ sancti colitur quâ fama Georgi,
Qui nomen domito grande dracone tulit,
Forte Periscelidis celebris conuenerat ordo:
Vt festum sacris duceret ipse diem.

Illic

Illic qui Tameſis famulis pater imperat vndis,
Illic tam magni Carlus imago patris.
Maieſtas decuit cunctos: faciéſque decora:
Viſa ipſis fuerat quæ bene digna Dijs.
Sed cunctos rapuit Tamiſeæ Iupiter oræ.
Et cunctos tanti Carlus imago patris.
Fulgebant pariter radijſque auroque ſuperbi.
Oris vt ambigeres cui prior eſſet honos.
Vt ſi quis geminos componat, diceret; hic ſi
Lucifer haud fieret; Phoſphorus ille foret.

In procos, & puellas, noſtri temporis.

Arſit amans Phœbus Nymphæ Peneidos igne:
Vota fugax cupidi luſit at illa Dei.
Candida captipedem Syrinx ita fugit amantem,
Et Satyri Eurydice per vaga rura labor.
At nunc, quis furor hìc, quæ diſſimulatio, Diui?
Quæque fugit ſequitur, quæ ſequitúrque fugit.

Iano Martiali, ſuo.

Iane, carmina ſola, Martialis,
Poſt numen, ſuperóſque ter beatos,
Habent perpetuam perennitatem:
Donant perpetuam perennitatem.
Vulgus me vocat, & putat poetam:
Et me carmina ſcriptitare nouit.
Si vatem putat, & vocat perennem;
Et ſi carmina ſcriptitare nouit
Quæ nullo peritura ſint in æuo;
Scit, quæ, (vt ſi cuperem) nec ipſe noui.
Verum hoc in genubus Deûm locatum eſt.
Venturúſque liber per ora docta,
Victurúſque diu, ſuo carere

Non

Non debet Genio fauentiore.
Me nec spes leuat auio volatu:
Desperatio nec premit iacentem.
At quodcunque ergo, chare Martialis;
Quicquid carmina nostra dehinc futura;
Te, vates, ego, candidúmque pectus,
Constantémque colam, integrúmque amicum.
Et si perpetuam perennitatem
Habebunt; super astra te vsque tollent
Iane, carmina nostra, Martialis.

In Scotos, omnes omnium gentium mores referentes.

Rarus abest patriâ Gallus; sua limina seruat:
Præ foribus semper gaudet & esse suis,
Flander at Eoos currit mercator ad Indos:
Nominaque inuentis ponit Iberus agris.
Circum æquor, terræque sinus, animosior Anglus
Nauem agit. & cæli lustrat vtrumque polum.
Italus in Graijs, Latijs Teuto hospes in oris.
Stat glacie in vinctâ Cimbrica puppis aquâ.
Scotus vbique latet. nusquam vestigia figit.
Perque soli longas it, pelagíque vias;
Hinc, mores Gallíque refert, Flandríque, & Iberi;
Brittonis, & Cimbri, Teutonis, atque Itali.
Sed morum discrimen habet. mercator & Anglus,
Flander, & est Cimber. Teutóque vulgus iners.
„ Gallica mobilitas, fraus Itala, fastus Iberi,
„ Sunt tria, quæ sibi vult nobilitatis apex.
„ Sic dum cuncta refert dum non vult vnus haberi:
„ Desinit esse aliquid: incipit esse nihil.

Carolo

Carolo, Valliæ Principi.

Ales olor, Zephyro nunquam nisi flante canorus,
Ingeminat placido gutture mille modos.
Ingenuos volucris notat hæc, ô Carole, vates.
Te Zephyrum cygno quid vetat esse tuo?

Iacobo Hayo Duncastrio Vicecomiti.

Posse tuúmne querar querar an mage nobilis Haye
Nolle tuum an potius quod volo velle tuum?
Si non, posse, querar; nolle accusare videbor.
Si non, velle, querar; non ego nolle petam.
Verum & posse & nolle & velle atq; omnia causor;
Iudice vel Clario si patiare Deo.
Posse quod haud velit. & quod posse, hoc nolle, recuset.
Vel quod haud nolit sed neque posse ferat.
Tolle moras patrone omnes nec tempora ferat:
Et qui nolle potes, nunc quoque posse velis,

In Lupas non Lupas.

Lupas, Lupanar, & Lupanares iocos,
Quos, & Priapus, & nouit decens Venus;
Amare fugio: & corde toto abhominor.
Idem, hanc repentè desero sententiam:
Quum nequiora multa facta, in Arcticis
Cerno hisce plagis: quas Deus benignior
Aspexit; hinc, & inde, vbique desuper
Lumen salutis purius multo serens.
Lupas, lupanar, & lupanares iocos,
Quos, & Priapus, & decens nouit Venus,
Abesse námque iusserint licet procul;
Tamen, impium non exigunt aliud magis.
Quid enim improbat, publica illic Venus

Priuata

Priuata si iam publica audiat magis?
Liceátque nuptam coniugem, aut puellulam,
Impune adire? queis cura ista credita,
Per cuncta, quæso; tollite impium scelus.
Potiusque (quò securiora cuncta sint;)
Lupas, lupanar, & lupanares iocos,
Quos, & Priapus, & ridens facit Venus;
Iubete, rursus huc venire. nánque quis
Furor ille vester; quam hac vagâ licentiâ,
Peccare, ne peccata sunt; permittere?

In Pulicem.

Pulex pumile, quid meis quietem
Hoc noctis vagus invides ocellis?
Huc, illuc, saliénsque, palpitánsque?
Non sum quam tibi reris, esse, non sum
Succiplenula, delicata virgo:
Non adhuc socio cubans cubili:
Cui matris timet, atque cura patris.
Cuius tu tamen & labella rubra,
Et genas niue, purpuráque tinctas,
Palpebrásque duas ocellulorum,
Et collum simul, & femur tenellum,
Et quicquid reliquum est lubentiarum,
Quod castis Venus abdidit tenebris;
Percurris cito: vellicante morsu.
Hanc si me esse putas nigelle pulex,
Pulex, pumile, pumilille, non sum.
Illuc te refer ergo; & hinc recede;
Indulgens placidam meis quietem
Paulum luminibus negare. sin mî
Pergis munera noctis, atque somni,
Mellitam, teneram, breuem quietem:

Indu-

Inducam horridulam, ſeram, perennem
Parcam: pollice quæ premendo totum,
Negabit tibi, pumilille, motum.

Patricio Mallio, Pammurio, Regi ab intimis Cubiculis.

Materno veniens ſanguis nos ſtemmate, Malli,
Iunxit, Areskineæ germina bina domus.
Hoc proauum curæ noſtrum debebit vterque:
Et quï coniugij vincula nectit Hymen.
Sed mihi nec tu aliquid, nec ego tibi debeo, Malli.
Vter ſic poterit debitor eſſe prior?
Da quod amem; da te; Muſas tu. mecumque repoſce:
Debitor vt tandem fiat vterque ſimul.

In Rufum vbiquitarium.

Neſcio, quis modo te Germanus Mæuius, eſſe
In cælo, inque ſolo, ſcripſerat, inque ſalo.
Nec contentus eo, nimium dum laudat, vbique
Collocat. anne Erebum credidit ille locum?

Lectori de Rufo.

Quis Rufus ſiet ille, ne requiras
Hoc lector nimis eſt periculoſum.
Verum ne videar timere Rufum;
Has notas dabo peſſimi ille vultus;
Et Bacchi, & Veneris comes perennis.
Si quæras vbi ſit, petas licebit.
Non hìc, non alibi, ſed eſt vbique.
Proh dicis qu'd id eſt? ſed ô amice
Redi. ſi memini, locum tenebis.
Illic, quà prope pæticam tabernam,
Fratrem pene podagricum, atque Gallum,
Chirurgus quoque penè frater vrit.

Qualem

Qualem velit vxorem.

Galla fide dubiâ, postquam data nupta marito:
Virgini at intacti cura pudoris adest.
Scota fide certâ, postquam data nupta marito:
Virgini at ambigui cura pudoris adest.
Si vlla meo thalamo consors debebitur, oro,
Virgine sit Gallâ, coniuge factâ Scorâ

Dauidi Lyndesio, Episcopo Brechinensi.

Lyndesi dum iubar, Aonidum decus, optime præsul
Qui Celurcanis das sacra iura meis?
Quem patria historici Modunum terra Boethi,
Quem Salmone ferax nobilis Esca colit:
Quà filicũ vrbs surgit de nomine dicta, Brechinum;
Quà turris modico Marria colle tumet:
Cui stat Aberbrothea, sacris miseranda ruinis;
Et veterum regum Forfara delitiæ:
Gratulor, hos meritis titulos accedere vestris,
Vt qui olim tanto nomine dignus eras.
Et quid adhuc, cæcæ querimur, vim sortis iniquæ?
Heic certè vidit, nec dea cæca fuit.

D. Roberto Caro. Ancrumio, equiti, Carolo Valliæ Principi à Cubiculis intimis.

Si quis erit, magnos animi preferre labores
Cui dedit, Aegiochi filia magna Iouis;
Quem neque ridentis magna inconstantia sortis
Præcipitet: dubiæ nec grauis ira Deæ.
Si quis erit, cui cura boni, cui pectus amicum:
Cui pietas, bonitas, cum bonitate fides.

Aut

Aut certe, Ancrumij decus, & noua gloria ruris,
Hic mihi tu fueris, vel mihi nullus erit.

Eidem Valedicens.

Dulce decus patriæ, Musarum maxima cura,
O mihi ter charum Care perenne caput.
Tandem post furias, & duræ fulmina sortis,
Et cuncta inuidiæ spicula dulcé vale.
Et simul hoc nostri monumentũ, & pignus amoris
Quod memori serues pectore semper habet
Care me patiar quum te de pectore abire;
Nox mihi lumen erit; nux mihi numen erit.

Danieli Fitlæo SS. Theo. Doctori Archiep. Cantuariensis Sacellano, de iure & vi.

Ius & vis duo sunt. iuri contraria vis est
Nam non ius, vis est; si vi sit forte coactum
Hæc ego iure cano nam si Fitlæe coactus,
Vnum, non duo mî facerem contrarius ipsi.
Quod si anagramma sapit præsentia tempora ri-
dens,
Non ius vis duo erunt: sed vt ipse fateberis vnum.

Georgio Buchanano, poetarum sui sæculi facile Principi.

Magnus Mæonidæ cessit Maro; Naso, Maroni:
Cui Maro, & ingenio Naso, Maróque tuo.

De Ioue, ad Idolorum antiquitus cultores.

Arduus armatâ qui torsit fulmina dextrâ,
Réxque, Deúsq; hominum, Rexq; pater, deúm,

Taurus,

Taurus, olor, Satyrus, serpens, dea, pastor, & ignis,
Proque fuit dominâ, flammáque, virque, suâ.
Cui nam igitur flammis adoletis Cynnama? tales
Cernitis innumeros viuere vbique Ioues:

De eodem.

„Quod scelus in terris homine, quæ crimina linquent:
„Si regat hic cœlos, quem regit omne scelus?

Iacobo Hayo Duncastrio Vicecomiti.

Poeta, iuuenis, atque diues vt satis,
Musas, priores animos, & peculium,
Prope perdidi, remisi, & ah deglutij.
Huic causa, Galla, Scotus, Anglus est malo,
Regina, Rufus zoilus, pastor grauis,
Mutone, morsu liuido, superbiâ.
Tu quem fauor, virtúsque, amórque mutuus,
Iouis Britanni, propria, omnem vndíque,
Haye extulit, laudauit & gratum dedit,
Me cerne; tolle, me tuere, iam nimis
Inopem; iacentem; proditum male à malis;
Tot sumptibus, sorte inuida, calumnijs.
Mihíque, musisque, & nouo rogatui,
Misero, retentis carcere, atque innoxio,
Fauorem, amorem, opem fer; apto tempore,
Sic te Britanno, Gallo, Hibernici, Iouis,
A sorte durâ, ab hoste fraudibus malis,
Fauor Haye, amórque, opisque, dextra protegat.
Quod si annuas, si non negabis, at dabis,
Qui perdidit remisit, & deglutijt,
Musas, priores animos, & peculium.
Poeta, Inuenis, atque diues, te hinc feret,

De Patricij Scoti Tabellis regijs ad lectorẽ

Quæ tenerum pectus ratio instruat, & bene formet
Principis, & vitæ, qui modus inde bonæ,
Quid placeat quid non, quid inutile, turpe, decorũ,
Quoque modo recta sceptra gerenda manu,
Denique mortis quæ cura sit inde sepulchri,
Omnia in exiguâ hæc Scotus habet tabulâ.
Tu quem pauca iuuant, hunc quoque volue librum.

Iacobo Hayo vicecomiti Duncastrio.

Qui quondam cecini, multum ludente Camœnâ,
Pro dominâ, & puero carmina blanda deo;
Qui tibi fælices nugas, nisi fata negassent,
Liuor & innocuum dente petisset opus,
Sacraui; nunc post tot tædia carceris atri
Assertus meritis inde sed Haye tuis,
Accedo: Geniumque loci, vestríque fauoris,
Téque volens dominum dico, saluto meum.
Ergo age ne tetrico ninium me respice vultu:
Nec durâ molles respue mente iocos.
Inuenies aliquid quod delectabile; Musa
Non adeo aduerso sydere nata mea est.
Inuenies toto ducat quod splene cachinnos;
Soluerit in lachrymas lumina nostra licet.
Debueram musas tibi quum prius ista dicaui:
Nunc tibi me, & Musas, nobilis Haye, meas.

Ioanni Leonti Glammio, Comiti Kingorniæ, quum patris ei Epicedium offerret.

Non hìc Niliaco surgentia culmina saxo,

Nec

Nec quod conſpiciant nobile Cares opus,
ſed Lachrymæ: ſed de lachrymis miſerabile buſtum
Quod ſtruxit Muſæ debita cura meæ.
Sume heros, lachrymarum oculis ſtillantibus imbrem.
Sume, iube gemitus inter adeſſe tuos.
Quod ſi præſtiteris; longè faſtigia cedent
Pyramidum, & lachrymis, Carica ſaxa, meis.

Patricij Leontis, Glammii, Comitis Kingorniæ, tumulus.

Aſta viator, & genis rorantibus
Inuiſe buſtum hoc flebile.
Buſtum trophæa mortis, & vagæ cita
Rhamnuſiæ ludibria.
Buſtum Leontis, Leontis illius,
Cui pectus vſque viuidum:
Generoſum, & altum, vita cui nullos tulit
Animi ruentis impetus:
Compreſſa luxu: noxióue perdita
Fallacis æui poculo
At, ô viator, ô recede, non iacet
Spario ſepultus hoc breui
Generoſus ille: ſi Leontis hic vides
Spolium, Leontem haud adſpicis,
Nam ſi furenti fixus ille ſpiculo,
Fati quieſcit vltimi:
Et heic ſepultus ipſi (quod nefas) queunt
Dij perire cælites.

Adhuc.

En, qui tot titulis, regnum alto è ſtemmate claris,
Tollebat meritum celſus honore caput:

De Patricij Scoti Tabellis regijs ad lectorẽ

Quæ tenerum pectus ratio instruat, & bene formet
Principis, & vitæ, qui modus inde bonæ,
Quid placeat quid non, quid inutile, turpe, decorũ,
Quoque modo recta sceptra gerenda manu,
Denique mortis quæ cura sit inde sepulchri,
Omnia in exiguâ hæc Scotus habet tabulâ.
Tu quem pauca iuuant, hunc quoque volue librum.

Iacobo Hayo vicecomiti Duncastrio.

Qui quondam cecini, multum ludente Camœnâ,
Pro dominâ, & puero carmina blanda deo;
Qui tibi fælices nugas, nisi fata negassent,
Liuor & innocuum dente petisset opus,
Sacraui; nunc post tot tædia carceris atri
Assertus meritis inde sed Haye tuis,
Accedo: Geniumque loci, vestríque fauoris,
Téque volens dominum dico, saluto meum.
Ergo age ne tetrico ninium me respice vultu:
Ne durâ molles respue mente iocos.
Inuenies aliquid quod delectabile; Musa
Non adeo aduerso sydere nata mea est.
Inuenies toto ducat quod splene cachinnos;
Soluerit in lachrymas lumina nostra licet.
Debueram musas tibi quum prius ista dicaui:
Nunc tibi me, & Musas, nobilis Haye, meas.

Ioanni Leonti Glammio, Comiti Kingorniæ, quum patris ei Epicedium offerret.

Non hìc Niliaco surgentia culmina saxo,

Nec

Nec quod conſpiciant nobile Cares opus,
ſed Lachrymæ:ſed de lachrymis miſerabile buſtum
Quod ſtruxit Muſæ debita cura meæ.
Sume heros, lachrymarum oculis ſtillantibus imbrem.
Sume, iube gemitus inter adeſſe tuos.
Quod ſi præſtiteris; longè faſtigia cedent
Pyramidum,& lachrymis, Carica ſaxa,meis.

Patricij Leontis, Glammii, Comitis Kingorniæ, tumulus.

Aſta viator,& genis rorantibus
Inuiſe buſtum hoc flebile.
Buſtum trophæa mortis,& vagæ cita
Rhamnuſiæ ludibria.
Buſtum Leontis, Leontis illius,
Cui pectus vſque viuidum:
Generoſum,& altum, vita cui nullos tulit
Animi ruentis impetus:
Compreſſa luxu:noxióue perdita
Fallacis æui poculo
At,ô viator,ô recede, non iacet
Spario ſepultus hoc breui
Generoſus ille:ſi Leontis hic vides
Spolium, Leontem haud adſpicis,
Nam ſi furenti fixus ille ſpiculo,
Fati quieſcit vltimi:
Et heic ſepultus, ipſi (quod nefas) queunt
Dij perire cælites.

Adhuc.

En,qui tot titulis, regnum alto è ſtemmate claris,
Tollebat meritum celſus honore caput:

Mentis in arcessæ dio fulgore coruscus,
Iustitiâ dubium est, an pietate prior:
Glammeæ tutela domus, stirps magna Leonum,
Lux patriæ, generis vota precésque suæ:
Tantus in exiguo tumuli hîc iam claudimur antro,
Hei mihi, non licuit lustra videre decem.
„Non licuit, si vos Diui, quodcunque probatis,
„Tollitis, inuidum quis neget esse deam?

In Alexin Medicum, ex græco Nicarchi.

Clystera medicus quinque Alexis præbuit.
Et quicunque purgauit simul.
Morbo iacentes quinque reperit viros.
Et quinque inunxit denuo.
Medicina quinque his vna, nox vna vltima,
Vespillo & vnus contigit.
Vnum sepulchrum, & Orcus vnus omnibus.
Planctúsque non nisi vnicus.

De Sacerdote Gauro.

Mane, *Pater noster*, Boreâ frigente niuali,
Dum boat, ignotis, Gaurus, vt ante sonis:
Nescio quid miserum, querulo respondérat ore,
Non intellectis culus & ipse tonis.
Sed bene, ait Gaurus, quia flamine fortius vno,
Orans, cum socio flamine, flamen agit.

Iacobo Regi Britanniarum.

Si locus ingenio, certare prioribus ausim.
Si numeris, numeris naso, Tibullus ero.
Si locus est meritis, volui meruisse videri,
Si paupertati, nudus & Irus eo.
Ingenium, numeros, meritum, mihi demere liuor;
Tu paupertatis dura, Iacobe, pores.

Ioanni

Ioanni Iunio, SS. Theologiæ Doct. Vinchestrienſi Decano.

Quem patris ætherij blanda indulgentia Iuni,
Quemque fauens noſtri principis aura fouet,
Grate deo, regíque hominum, grate omnibus vne
Ore licet Iuuenis, pectore, mente, ſenex,
Gratior, vt cunctis viuas, gratiſſime Iuni,
Gratior at Muſis non potes eſſe meis.
Iunior & cunctis poſſis quoque viuere, certè
Iunior in numeris non potes ire meis.

Puellares artes.

Promuntur variâ vultus de pixide, crines
Ornantur: laxum ſtringitur arte latus.
Pallor, & hinc macies bibitur carbonibus atris.
Exiguo premitur compede forma pedis.
Plura ferunt teneræ (quorſum tamen iſta?) puellæ.
Vt poſſint medios nempe vorare viros.

In Glycerem.

Quod pulchros, Glycere, ſumas de pixide vultus,
Quod tibi compoſitæ nec ſine lege comæ:
Quod niteat digitis adamas, beryllus in aure,
Quod breuis eſt lateris, par quóque forma pedis;
Candida quod cingat baccatum colla monile,
Quódque perigrino veſtis odore placet,
Quod leuis inceſſus; quod lumina pœta vagantur;
Quod vultus toto riſus in ore ſedet:
Quod maneant nudæ mediâ plus parte papillæ:
Inſtita quod breuior vix tua crura tegat:
Otia quod Glycere quæras, choreáſq; frequenter
Quod moueas teneros arte decente pedes,

Inter

Inter & æquales residens lasciua puellas,
Sæpe canas Paphiæ libera furta deæ:
Quod iuueni aspecto, Glycere, suspiria mittas:
Non sum diuinus, sed scio quid cupias.

Gulielmo Herberto, Comiti Pembrociæ.

Non hæc supinâ laude charta prætumens,
Tuum loquetur, posterúmve sæculis,
Tradet stupendum nomen, inuido stylo,
Herberte magne: te laudare qui velit,
Laudet Camœnas, Pallada, atque Gratias.

Andreæ Meluino, SS. Theologiæ, in Academia Sedanensi professori.

Iactet Edina suos, Taodunum, & Glascua vates.
Quæque Caledonij nomine gaudet agri.
Sit sua Sterlino, sua sit quoque gloria Pertho.
Et decus Andreæ constet, honórque suus.
Tollat Aberbrothea caput, caput inde Brechinum.
Deuáque quæ videt, aut mænia Dona subit.
Dum vetus, & ter pulsa loco Celurca priori,
Nos, Meluine duos, non neget esse suos.

Steuarto Comiti Mercio, carcere ereptus.

Dulce decus miseri, certa & tutela Poeræ,
Quum premeret miseris inuida turba modis;
Ausc Caledonij pectus iouis ire rogando
Flectere: & obnixâ sollicitare prece;
Accipe quas voluit grates tibi nostra Thalia
Reddere nunc meritis libera facta tuis.
Accipe, fors alias memori te mente sacrabit;
Et referet toto nomen in orbe tuum.

Interea

Interea hæc, non quòd referatur gratia, ſed quòd
Non fieri voluit gratia tarda, cape.

Diuerſi diuerſarum nationum reſpectus, in matrimoniis contrahendis.

Si tibi forma potens, ſi pulchro in corpore vires,
Ambiet amplexus Nympha Britanna tuos.
Si fundus patrijque lares, ſi nummus in arcâ,
Conueniet thalamis Galla puella tuis.
Si multum inſano pectus transfigitur igne,
Auſonis eſt precibus virgo roganda tuis.
Helleſpontiaci bona ſi tibi vaſa Priapi,
Accedat votis fuſcula Ibera tuis.
Si Bromio, choreiſque potes traducere noctes,
Eſt de Teutonico ſponſa petenda ſolo.
Robore, diuitijs, flammâ, mutone, chortis,
Qui valet, huic ſociam fas ſit haberi thori.
Me pater Aonius thalamis abduxit. & inquit,
„Quæ velit ingenium, non erit vlla tuum.

Ioanni Morauio Regi à Cubiculis intimis.

Qui Caledonio Ioui eſſe charus,
Gratus principibus viris, & audis:
Qui gaudes, Moraui, fauente diuâ,
Summa quæ facit ima, & ima ſumma;
Qui virtute tuâ, tibi hoc paraſti
Quicquid nominis, & fauoris; audi:
„Muſis ſi faueas, eris beatus.

De Hugone Grotio ope arcæ ſuæ carcere elapſo.

Carceris indigni tenebras, & tædia longa,
Grotius ut poſſet cautius effugere;

Seſe arcæ incluſit, depromptis arte libellis:
Eluſitque omnes fraude fauente manus.
Quem ſic concluſum, quum tollere portitor iret;
Nempe humeros, melius quo ſuper iret onus,
ſenſit. deinde gemens; Dij cæpta hæc noſtra ſecundent.
Hìc plus innumeris credo ſed eſſe libris.

Adhuc.

Dædalon, ægiden, & tempora priſca reuolue,
Confer; & ad noſtros lumina verte dolos
Vix ſimile inuenies facinus, tam grandibus auſis.
Crede mihi authores res habet iſta Deos.
Aegides filo eripuit ſe: Dædalus alis.
Omnia at hæc ſolus Grotius exſuperat,
Carcere ſe clauſit, quo carcere abiret, erátque
Ipſe ſibi cuſtos, liber vt ipſe foret.

Adhuc.

Sandapilam vt fugeret, ſolers ſe Grotius arcâ
Clauſit, cuſtodum hac luſit & arte manus.
Mors riſit facinus. pharetráque hæc tela recondens
Viue tuo fato, viue, poeta, meo.

Adamo Regio, Poetæ, in conſiſtorio Eccleſiaſtico Edinenſi Iuridico.

Cognomen noménque tibi, doctiſſime vates,
Impoſuit fati conſcia Muſa tui.
Illud quod rex ſis, hoc quod vatum pater audis:
Et, Regi, ex merito nomen vtrumque tuo.

Ioanni Adamſono, verbi dei præconi.

Quid dicam hoc? Pharij Muſas colit ora Gatheli
Grampius incanis qua ſubit aſtra comis.

Deſeruere

Deſeruere ſuas ergo Permeſſides vndas?
Et capit Aonium Fergusis aura deum?
At cur non tenuere deas Pharamondia rura?
Rarior aut Batauo littore Apollo ſedet?
Vnde Tagi paucas ripas olor accolit? vnde
Nunc ſilet Auſoniâ quæ lyra pulſa manu?
Nunquid, Adamſone, irriguis iugâ vallibus inuia,
Præfertúrque ſacris turbidus amnis aquis?
An Boreæ Zephyris, an frigora dura calori?
Anne vmbris Tempe, téſqua probanda magis;
Hæreo. nil potuit, nil huc duxiſſe Camœnas,
Pauperies Clario nî placet ipſa deo.

De quadam.

Pene puella mea eſt, quæ me modo torſit amantem
Lætus io, & io pene triumphe cano.
Pene ſuas me blanditias, & gaudia dixit.
Pene dedit noſtris preſſa labella labris.
Dum nil pene negat, penè omnia perdidit, & ſe.
Ride detracto pene Venus ſpolio.

De Timoleonte cauſidico, & Gerilo cliente.

Vix bene puniceis inuecta Aurora quadrigis,
Iungere te celeres, Phœbe, monebat equos.
Quum ſonuit, ſtrepitúque fores percurrit ahenas
Iuridicum Gerilus Timoleonta petens.
Ille vbi de ſtratis nutantia membra leuauit,
Quis mea, quis tantum limina pulſa ait?
Te peto Timoleon, Gerilus reſpondit, & iſtis
Addit, propoſiti prima elementa ſui.
Audijt; & demens quiſnam iſta tuebitur inquit?
Hæc bibit hybernas naufraga puppis aquas;

Huic

Huic Gerilus, Cynosura meis tu prospera rebus,
Tu mihi dux, dubiæ dirige lintris iter.
Præmia certa feres: equites centum en cataphractos
His preme commotos lintre natante Notos.
Risit &, ô, dixit, belli primordia inermis,
Ferre tot armatos, quis potis oro, viros.

D. Gulielmo Alexandro Menstræo equiti Regi Britanniarum à libellis supplicibus.

Temporis absuerim quod tantum, maxime vatum
Quos videt Arctois ora Britannis aquis,
Desine sectari, sed si latet accipe causam;
Et veniam nostræ sors dabis ipse moræ.
Non quod amicitiæ socialia fœdera rumpam.
Fama, velim quæras, hæc sine labe mea est.
Nec quod me vlla tui cœpere obliuia, lethes
Vix te, vix animo diluat vnda meo.
Nec quid iners Baccho facerem, placidæue Dionæ
Dissidet ingenio numen vtrumque meo.
Sed quod nocti fugæ nimidissima tela dioi
Sparserunt oculis lumina nulla meis.
Sed quod nox furuo nebularum tristis amictu,
Innoluit tenebris vndique cuncta suis.
At neque Cimmeriæ terra tenuere tenebræ,
Nec sol auersos præcipitauit equos.
Quidnam igitur fuit hoc, quæ nos tenuere tenebræ?
Quæ solem eripuit nox mihi, quæue diem.
Scilicet à nostris lux hæc tam languida chartis.
Vmbra fuit Musæ scilicet illa meo.
Hæ mihi Alexander tenebræ hæc mihi sola moranti,
Causa fuit iuro teque tuásque deas.

Nunc

Nunc quum diffuſo cedant fulgore tenebræ,
Et noua lux Muſas cæpit habere meas.
Ad te continuô mecum decurrere tentant
Seu tibi de radijs lux vti plena tuis.
Quam modo contuleris viſam te ſæpius: at tu
Tum, mihi lux, tum ſol, tum mihi Phœbus eris.

De Marte, & Amore.

Iactabat toto Mauors ſua prælia cælo:
Ipſum etiam audebat ſpernere voce Iouem:
Riſit Amor, faculáſque tenens, grauidamque pharetram:
Sunt etiam matri prælia grata meæ.

De Galliæ nomine.

Gallia num Gallis Cybeles, galliſne Gradiui,
Debeat an gallæ nomina, vel galatis
An γαλίν potius galeæne, an forte γάλαται,
Incertâ penitus ſub ratione latet.
Heic ego ſollicitus, Phœbum dum conſulo, riſit:
Et ſimul hæc, nimium Gallia amat galeam.

Patricio Iunio, Bibliothecario Regio.

Liberum, & inſignem Daphnæâ fronde, pudoris
Laudantem fines tranſilijſſe pudor.
Hoc fugiet Iuni, metuet qui nomina palpi:
Cuiue aliquid læua in parte mamilla ſalit.
„Iupiter ipſe licet veniat tibi carmen, at ipſi
Turpe etiam palpum obtrudere velle Ioui:
Me neque quæ dulci fruitur modo lumine ſolis:
Nec quæ ætas poſthæc ſæcula rurſus erit:
Viuere vel talem, vixiſſe vel arguet vnquam:
Si quis ego nunc ſum: poſtmodo ſi quis ero.

Pro

Pro Andrea Aidio, Abredonense, Votum.

Non ego pro Aidio, superi modo grandia poscam:
Nec dabo sacratis thura Sabæa focis.
Hoc tantum, vos ô Musæ, tuq; auree Pæan,
Hic meus Aidius, sit meus, sit meus αἴδιος.

Ioanni Maxuelio Dunfrisiensi.

Caucaseâ pendet religatus rupe Prometheus:
Cui fera perpetuum viscera rodit auis:
Quod Iouis è domibus, magníque Hyperionis axe,
Clam superos, partes ignis ab igne tulit.
Tu quoque Maxueli Phœbeæ lampados ignes,
Bis sex Castalij lumina clara chori,
Queis genus æthereum, queis patria Fergusis ora,
Subduxti: è Phœbi, Pieridumq; domo.
Non tamen idcirco, pænas persoluere dignus,
Caucaseæ rigidâ pro dape stabis aui.
Distat enim facinus, namque ille Hyperionis axe,
Clam superos, partes ignis ab igne tulit:
At tu homines clam Maxueli, non numina diuum,
De tenebris, ignis lumina clara rapis.

De Marte & Baccho.

Indutus thoraca humeros, galeáque decorus,
Obuius Ogygium dum furit ante deum:
Et sese auratis Mauors ostentat in armis:
Qualis in Aemonio puluere prælia obit.
Toruâ tuens oculis, Geticâ Bacchũ increpat hastâ,
Et tua quisnam vnquam spicula vidit? ait.
Subrisit, cayathumque tenens, & cantharon, Euan,
Quid mea si excutiant, Mars, tua tela tibi?

De Caſtoris naſo, ex græco incerti.

Magnus Caſteris ille naſus, arua
Vertenti ligo, deinde dormienti, &
ſtertenti tuba. cumque Bacchus vuas
Maturas ait eſſe falx. ratíque
Firma eſt anchora. & in ſinum inde terræ
Caute ſemina conferenti aratrum.
Nautis hamus. & ebrijs popinis
Carnis fuſcina, curua quin ſecuris
Naupego. agricolæ putantis eſt falx.
Fabris aſcia, malleuſcue portis.
Sic quid vtile Caſtor ille nactus,
Nulli non operi bonum, & paratum
ſecum hunc eximium ferendo naſum.

Ioanni Maxuelio, & Georgio Camerario, ſuis.

Vina bibens, Genióque litans, faciénſque Lyæo,
Nec tamen aut Muſarum immemor, aut Charitũ,
Multus herì effudi rutilum, eiecique cruorem
Naribus. incertum cauſa habet, & dubium.
Suſpicor interea (locus heic ſi forte poetæ,
„Nec ſemper vates dicere falſa ſolent.)
Hoc vni voluiſſe deum: ne ſanguinis vſus
Integer, à ſacris poſſet abeſſe ſuis.

Georgio Camerario.

Sic diuas Heliconis, atque Phœbum
Et ſic Nympham habeam meam fauentem;
Sic quicquid Charitum eſt venuſtiorum;
Sic quicquid Venerum, Cupidinumque
Vt te, mi Camerari amo: coloque:

Totum

Totum & pectoris intimo recondo.
Hoc suasit puer, ille non Cytheres;
Verum Cecropiæ comes Mineruæ.
Non myrto viridi comas decorus:
Sed rosis caput impeditus: ille
Virtutum puer, & Cupido morum.
Verum me, Camerari, abire tandem,
Atque hanc Sequanicam relinquere vrbem
Et te Sequanicâ mihi vel vrbe,
Et te his iam mihi chariorem ocellis,
Inuitum licet, & parum volentem,
Cogunt proh patriæ domus procellæ.
Quid non his precer improbis procellis?
Quæ me diuidere optimo sodali,
Quæ me mî rapuisse amare pergunt.
At quicunque tamen furor molestus:
Illas nunc caput in meum ire poscat:
Siue absens ego, fortè siue præsens:
Seu tristis mihi vita, siue læta,
Quicquid hinc fuero subinde rerum,
Tuus qui fueram: tuus manebo.

Gallia discedens. Kal. Maiis, 1620.

Gallia chara vale, nostræ gratissima vitæ.
Forte iterum haud oculis adspicienda meis.
Gallia blanda vale, summi Iouis aurea sceptra.
Diuitiæ Argiuæ, gazaque prima Deæ.
Gaudia Pomonæ. Syluani vmbra, & rosa Floræ,
Delitiæ Bacchi: blanditiæ Cereris.
Elysij Plutonis agri. Deoidos Enna.
Latonâ genitæ lustra, nemúsque Deæ.
Bana Acidaliæ, lulúsque, & furta Dionis.

Ac

Ac Veneris nati, tela, pharetra, faces,
Aegis, & Acteæ dextra ingeniosa Mineruæ.
Ius Themidos, superum templa sacrata Deûm,
Pæonis herba, manus Podalyria, gloria Phœbi.
Et decus Aonij, palmâque rara chori.
Neptuni risus. rigida galea, hastáque Martis.
Aeolij Zephiri, Mulciberíque labor.
Mercurij merces. Suadæ illibata medulla.
Aureáque & Charitum firma catena trium.
Cætera quid memorem? merito Pandora Deorum,
Et desiderij lenta cupido mei,
Nunc iterum, nunc dulcè vale, pulcherrima tellus,
Quam nulla ex animo subtrahet hora meo.
Sed tamen, vt totos rapias mihi candida, ocellos:
Charior est animo, Scotia fusca, meo.

De 2. editione epigrammatum, ad lectorem.

Orabam modo bandius Camænas,
Musis Bilbilidas, iocos, salésque,
Et doctas dare mobiles cahinnos,
Ne me testiculis meis carere
Indignum paterentur, hæc meorum
Fuit summa precum. sed ah repulsam,
Et de virginibus tuli puellis
Et de haud virginibus viris, sed illis
Quos castos decet esse plus puellis
Nam quod mentula scripta, de inde muro,
Tum præsul for et, ac subinde quiddam,
Offendit mea durum vtrosque vena
Vnde carcere me repentè clausum,
Iusserunt malè testibus carere.

Hunc

Hunc quicunque igitur leges libellum,
Castratum satis, & nimis pudicum,
Hoc & Bulbilidem præcare turbæ;
Hi posthac careant suis pudendis;
Vnà & testiculis at ista turba
Nunquam Zonam habeat sibi solutam.

Intermissio à studijs poeticis.

Has hederæ, has myrti nexas de fronde corallas,
Hunc cytharam, & blandæ fila sonora lyræ,
Suspendit tibi, Castalidum pater aureæ Pæan,
Quà pandit virides laurus odora comas,
Vel si forte iterum numeros, Leochæus, amarit,
Hinc sibi sit manibus plexa corolla tuis.

Finis Epigrammatum.

MVSEVM
BRITAN
NICVM